This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Da 64.93

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 1 Aug., 1898.

QUAE FUERINT

DICENDI GENUS RATIOQUE METRICA

APUD

ASCLEPIADEN, POSIDIPPUM
HEDYLUM

LITTERAE SINGULARES

AP. — Epigrammatum Anthologia palatina cum Planudeis et appendice nova..., instruxit Fred. Dubner, Parisiis, 1864-1872.

AC. — Epigrammatum Anthologia palatina..., instruxit Ed. Cougny. Volumen tertium, Parisiis, 1890.

In tabellis epigrammata Anthologiae palatinae duobus numeris signantur, quorum alter librum editionis parisinae, alter ipsum poemation indicat. Quando autem de carminibus loquor, quae in tertio volumine praesto sunt, iisdem signis utor, antecedente littera C.

S. — Supplementum epigrammatum quod ad caput II hujus libri invenies.

AL. — Geschichte der griechischen Literatur in der Alexandrinerzeit, von Franz Susemihl, Leipzig, 1891-1892. Caput XXXVI secundi voluminis (Lyrik und Epigramm) scriptum est a Knaackio.

RM. — Rheinisches Museum fur Philologie, herausgegeben von O. Ribbeck und Franz Bucheler, Frankfurt.

CIG. — Corpus inscriptionum graecarum, ed. Boeckh.

PLG.— Poetae lyrici graeci, ed. Bergk.

Burdigalae. — Ex typis G. GOUNOUILHOU, via dicta Guiraude, 11.

QUAE FUERINT

DICENDI GENUS RATIOQUE METRICA

APUD

ASCLEPIADEN, POSIDIPPUM HEDYLUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Henri OUVRÉ

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD St-GERMAIN, 79

—

M.DCCC.LXXXXIV

Ga64.93

HARVARD COLLEGE
AUG 1 1898
LIBRARY.

Constantius fund.

VIRO ERUDITISSIMO
ATQUE OPTIME DE ALEXANDRINIS LITTERIS MERITO

AUGUSTO COUAT

DISCIPULUS.

ASCLEPIADES, POSIDIPPUS HEDYLUS

I

PROOEMIUM

Meleager Gadarenus, Anthologiae primae conditor, scriptores quos in censum vocaverat enumerans, eorum nomina in modum serti connexuit. Quos inter haud ultimum locum obtinent Asclepiades, Posidippus Hedylusque, quippe qui duobus versibus commemorati sub speciem anemonae agrestiumque florum prodeant. Neque injuria tres illi poetae simili laude efferuntur, quum proximi temporibus vixerint, et quaedam inter eos appareat societas ingenii.

Exeunte saeculo quarto et ineunte tertio floruit Asclepiades. Hunc enim et Philetam simul appellat Theocritus [1], et profitetur adolescentem se hominibus summa gloria cumulatis nondum aemulari. Quae autem adhibetur hoc in loco vox Σικελίδης ea turbatis litteris ex Ἀσκληπιάδης efficta est, ut nuper praeclare docuit

1. Theocritus, *Idyl.* VII, 39 sqq.:

...οὔτε τὸν ἐσθλὸν
Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω οὔτε Φιλητᾶν.

Addit scholiasta : Ἀσκληπιάδην τὸν Σάμιον, οὗ δοκεῖ ἀκουστὴς γεγονέναι ὁ Θεόκριτος. Patet hoc nihil aliud praesidii habere quam ipsos Theocriti versus.

Hillerus [1]. Hanc pari sensu usurpaverunt Hedylus in epigrammatis [2] et Meleager in Prooemio [3].

Asclepiades vero fuit Samius, nec videtur multum ab Aegeo mari discessisse iisque insulis quae tunc assiduo bonarum artium studio innotuerant. Huc pertinent aliquorum poematum argumenta : Melesagores qui mortem filii luget urbem Chium inhabitat [4]. Bitto et Nannion Samiae sunt, quae rectius Lesbiae vocarentur [5]. Colophonis civis fuit Antimachus, quem praeclare laudavit Asclepiades [6]. Alcaei Mitylenaei imitationem prodit aliud epigramma [7]. Paphia Venus, quam Cleander precibus obsecrat, ea est quam Cypri incolae venerabantur [8].

Asclepiades non grandiora molitus satis habuit aut semper aut plerumque carmina brevissima pangere, quorum haud contemnendam silvam Meleager nobis tradidit. Putabat Jacobsius [9] in Anthologia plurium ὁμωνύμων opera congesta fuisse et in unum permixta. Hanc opinionem retulit, et in majus accepit Dehèque [10], at nullis argumentis sententiam confirmavit. Plane aliter hodie sentiunt viri docti [11], summo jure ut mihi videtur. Anthologiam Graecam retractanti duo tantum occurrent Asclepiadae : quorum alter epigramma scripsit lepore admodum destitutum, et in duodecimo libro servatum; Adramyttenus erat [12]; alter vero noster est

1. Cf. editionem Theocriti, Leipzig, 1881, p. 119, n. 40.
2. AC. IV, 25.
3. AP. IV, 1, 45 sqq.
4. AP. VII, 500.
5. AP. V, 207.
6. AP. IX, 63.
7. AP. XII, 153. Cf. Knaackium, AL., t. II, p. 526, n. 37.
8. AP. V, 209. De poematii auctore, videas infra, p. 24.
9. *Anthologia graeca*, t. XIII, p. 864.
10. *Anthologie grecque*, t. II, p. 309.
11. AL., t. II, p. 524 sqq.
12. AP. XII, 36.

natu major et praestantior ingenio. Omnia ejus poemata eumdem colorem exhibent, ita ut ab eodem scriptore facta fuisse videantur. Quod nobis usque magis apparebit uniuscujusque carminis genus, et manifestas imitationes Posidippi Hedylive animadvertentibus.

Ante omnia Samio placet amor, et apud Alexandrinos, ut Philetas amatoriae elegiae, amatorii epigrammatis auctor exstitit Asclepiades. Saepe propria gaudia doloresque cantat. Plorat ante vestibulum saevi adolescentis [1]. Puellam vetat florem virginitatis Orco reservare [2]. Se ipsum hortatur ut bibat et curas obliviscatur [3]. Per noctem pluviamque vadit, atque Jovi insultat, qui, amans ipse, cruciet amantes [4]. At saepe de sodalibus loquitur poeta [5]. Nicagoras frustra se Cupidinibus intactum esse declarat [6]. Nicarete Cleophontis oculis uritur [7]. In aliis poematibus ficta est dedicatio. Meretrices adducuntur, commenticia donaria in templis ponentes, ita ut cum ambigua quadam verborum obscaenitate spurcissimae nobis obversentur imagines [8]. Hic Reitzensteinius, « cinaedorum » ut dicunt imitationem inesse putat [9]. Quod probari potest. Nec non tales versus interdum ad satirae genus accedunt [10]. Sed multo asperioribus facetiis Posidippus atque Hedylus Alexandrinos obtrectavere.

Aliquoties epigrammata mimorum similitudinem refe-

1. AP. V, 145.
2. AP. V, 85.
3. AP. XII, 50.
4. AP. V, 64. Easdem res tractant epigrammata : V, 150, 158, 162, 164, 169, 210; XII, 46, 75, 105.
5. Hoc fere nunquam fecit Meleager Gadarenus. Cf. libellum meum, cap. IX.
6. AP. XII, 135.
7. AP. V, 153. Cf. ep. XII, 161, 162 et 163.
8. AP. V, 203.
9. *Inedita poetarum graecorum fragmenta*, Rostock, 1891, p. 6.
10. AP. V, 207.

runt : ita se ipsum pingit Asclepiades puerum ad emendos pisces mittentem, stomachantem, rationesque impensae pecuniae reposcentem [1]. Forsan et ideo scriptor Sicelides vocatus fuit, quod Sophronis vestigia premeret. Mimorum genus Syracusis semper fuit acceptum, doctique viri qui juxta mare Aegaeum vivebant Siciliensium imitationem non dedignabantur. Satis esset Theocritum memorare, sed non praetermittendus Herondas, qui paulo post iambicis trimetris mandavit popularium sermones et jurgia.

Inveniebantur quoque apud Asclepiaden sepulcrales tituli, quod genus apud Graecos ab omnibus scriptoribus frequentatum est. Hic praecipue notandum carmen de naufrago qui rogat ut procul a tumulo fluctus remaneant [2]. Sed plerumque talia epigrammata non verae sunt monumentorum inscriptiones. Hanc elogii speciem sui juris multi faciebant, ut antiquos heroas poetasve celebrarent. Ingeniosa ista mendacia juvabant Alexandrinos. Sic Asclepiades Virtutem adduxit ad rogum Ajacis dolentem [3]. Item in versibus admodum mutilis quos apud scholiastam reperimus Hecubae fatum breviter attingitur [4]. Apte conjecit Knaackius poetam talium titulorum συναγωγήν composuisse ubi variae personae memorarentur quas in Iliade cernimus.

Alia pars epigrammatum tractat de claris scriptoribus. Hic debemus accensere elogia Erinnae et Antimachi [5], et fortasse narratiunculam ubi fere adolescens inducitur Hesiodus [6]. Libenter autem Alexandrini cum

1. AP. V, 181; cf. V, 185.
2. AP. VII, 284; cf. VII, 500.
3. AP. VII, 145; cf. VII, 217 (De Archeanassa meretrice).
4. Cf. cap. II, n. 4.
5. AP. VII, 11; IX, 63.
6. AP. V, 64. Ultimum epigramma subditicium esse arbitror.

fabris aerariis contendentes, versus prope ad imitationem caelati operis vel tabellae fingebant. Qua in arte praestabat hoc ipso tempore Leonidas Tarentinus, neque ipse Asclepiades contemnendus. Haud indigne laudat imaginem Alexandri regis a Lysippo confectam, vel praeclarum quoddam sigillum Cleopatrae [1]. At iis in nugis non admodum sibi par est, ceterumque, quum sit incerta fides librorum manu scriptorum, istos versus ut suos vindicare possint alii auctores.

Quidquid id est, habemus poetam natura optime praeditum, novarumque rerum inventorem. Neque mirari possumus si multi ab eo pependerunt. At ejus exempla nemo fidelius secutus est quam Posidippus. Aequalis fuit Asclepiadae sed paulo junior. Loquitur enim de pharo quae a Ptolemaeo Lago inchoata, anno 284-283 ad finem adducta est [2]. In alio epigrammate mentio fit Zenonis jam senescentis, Cleanthisque cujus jam carminum gloria innotuerat[3]. Eorum forsan discipulus fuit Posidippus, et Athenas incoluit aliquandiu, sed postea devenit Alexandriam, et severiores Portici leges, ut ipse dixit, haud semel dedit oblivioni. Attamen philosophia quondam imbutus interdum priorem conditionem in memoriam revocat. Dixit enim se, dummodo sobrius maneat, adversus Amores habere armis in-

1. AP. XVI, 120; IX, 752. Prius enim poemation fert Archelai et Asclepiadae nomina, alterum nomina Asclepiadae et Antipatri Thessalonicensis.

2. AC. III, 80.

3. AP. V, 134 :

Σιγάσθω Ζήνων ὁ σοφὸς κύκνος, ἅ τε Κλεάνθους
Μοῦσα...

Cycnus audit Cleanthes quia vetus est et jam canescens. Cf. Knaackium, *Zu den griechischen Epigrammatikern*, ap. *Jahrbücher für Philologie und Paedagogik*, t. 143 (1891), p. 769-770 : [*Das epigramm.*] offenbar noch zu Lebzeiten des greisen Zenon († 264-63) als Cleanthes schon als der designierte Nachfolger galt, in Athen gedichtet ist. So erklärt sich auch die « Kekropische Flasche ». (Κεκροπὶ... λάγυνε.)

structam rationem [1]. In poematio quod nuper tractavit Reitzensteinius eruditi viri credebant inesse laudes doctae animae, quae licet ignibus adusta Cupidini repugnet et adversetur [2]. Eodem modo opponuntur Doricha et Sappho, meretrix et poetria, quarum altera semper vivat, quum jam altera in cineres evanuerit [3].

At saepissime Posidippus Dorichas non adeo contempsit, studiosusque Asclepiadae potius quam Zenonis aemulus fere omnes vias adiit quas Samius aperuerat. Sunt epigrammata in quibus de propriis dicat amoribus. Se quoque profitetur per noctem intempestam ebriumque puellae januam adire. Neque magistri immemor est quando fallaces mulieres exprobrat [4], aut Cupidines hortatur ut omnes in se ipsum tela conjiciant [5]. Composuit etiam famosas jocosasque meretricum dedicationes [6], et mimorum genus coluit [7]: in quodam poematio servum jubet apud mercatorem vinum quaerere, quum hac ipsa die coena instituenda sit. Versus ejusdem argumenti, sed felicioris venae nobis praebuerat Asclepiades.

Cetera eamdem similitudinem atque cognationem referunt. Non tantum titulos sepulcrales Posidippus scripsit, sed unum scripsit de naufrago [8]. Nec veteres heroas oblivione praeteriit. Atque etiam, prave intel-

1. AP. XII, 120.
2. AP. XII, 98. Cf. R. Reitzensteinium, op. cit., p. 7.
3. AC. III, 77.
4. AP. V, 186, 213. Cf. Asclepiaden, V, 158.
5. AP. XII, 45. Jure Knaackius (AL., t. II, p. 531, n. 64) animadvertit poetam ante oculos Asclepiadae carmen habuisse, unde sibi dimidium versum desumpsit

Ναὶ, ναὶ, βάλλετ' Ἔρωτες...

Cf. AP. XII, 166.
6. AP. V, 202. Namque epigramma Posidippi esse arbitror, cf. cap. II.
7. AP. V, 183. Cf. V, 181 et V, 185.
8. AP. VII, 267.

lecto Iliadis loco, in Berisum bellatorem carmen fecerat, quod delevit ipse deinceps post Homerum a Zenodoto editum [1]. Epigrammatis quoque vestigia remansere quo breviter attingebatur mors Pandari [2].

Quaedam poemata de scriptoribus antiquis imitationem Asclepiadae produnt, ita vero ut majorem libertatem sibi arroget discipulus. Jam protulimus elogium Sapphus. Antimachum, Mimnermum, Hesiodum Homerumque celebrare cum cuperet, Posidippus haud insulse propinationis formam usurpavit [3]. In describendis artificum operibus novitatis non adeo curiosus est. Imaginem Alexandri laudat [4], et Lysippi solertiam. Ejusdem fabri inducitur clarissima Καιροῦ effigies [5]; statuaque Berenices scriptori dat locum reginam adulandi [6]. Aliquot sunt elegi de quodam lapide qui casu speciem currus praebebat nulla caelatoris adhibita manu [7]. Atque alio in loco immensa describuntur aedificia, quibus Ptolemaei Alexandriam ornaverant [8].

Haec omnia jam satis abhorrent ab Asclepiada. Hominem vidimus in maxima urbe vixisse, artium miracula considerasse, neque unice Amores coluisse. Sed multo magis exempla Samii deseruit Posidippus quum satiras componeret. Attamen animadvertendum est nos jam apud Asclepiaden invenisse jocosas in

1. Cf. Knaackium (AL., t. II, p. 531 sqq., n. 66). Scholiasta A, ad Iliadem XI, 101, dicebat: ...μὴ ἐμφέρεσθαί... φησιν ὁ Ἀρίσταρχος νῦν ἐν τοῖς Ποσειδίππου ἐπιγράμμασι τὸν Βήριτον, ἀλλ' ἐν τῷ λεγομένῳ Σωρῷ εὑρεῖν. Homeri versus hic est:

Αὐτὰρ ὁ (sc. Ἀγαμέμνων) βῆ Ἴσόν τε καὶ Ἄντιφον ἐξεναρίζων.

2. Cf. cap. II, n. 4.
3. AP. XII, 168.
4. AP. XVI, 119.
5. AP. XVI, 275.
6. AP. XVI, 68. De auctore poematii, videas infra, cap. II.
7. AC. III, 79.
8. AC. III, 80 et 81.

Bittonem et Nannium exprobrationes. Inde natum est Alexandriae illud carminum genus quod fere omne in helluones et scorta intenditur. Hic perstringitur Theugenes, qui Maeonium bovem e sponsione comedebat, pariterque Phyromachus qui cuncta vorans Bacchum solum venerabatur [1].

Addamus Reitzensteinium quamdam ironiam in poematio reperire de quo supra disputavi. Germanus scriptor his in versibus Aratum vellicari putat [2]. Huic autem opinioni non est quod adstipuler.

Praeterea Posidippum majora tentavisse scimus. Vel unum vel duo carmina scripsit longiora quorum nobis tantum nomina pervenere [3].

Hedylus fuit Posidippo aetate fere suppar. Donaria enim describit in templo Arsinoes oblata, quae fuit Ptolemaei Philadelphi et soror et conjux [4]. Pariter carmen, quod Ctesibii artem extollit, nos ad ea tempora refert. Ctesibius enim fuit ille praeclarus mechanicus, qui floruit ineunte saeculo tertio. Alter ejusdem nominis vir exstitit ingeniosus tonsor, qui primus hydraulicum organum regnante Physcone fabricavit. Alterum Ctesibium pro altero quum ducerent, persaepe in gravissimos errores viri eruditi cecidere [5].

De patria Hedyli ambigit Athenaeus [6]. Aut Sami aut Athenis poeta natus est. Matrem habebat Hedylen et Atheniensem et poetriam. Eum conjicio Athenis ortum

1. AC. III, 78; V, 15.
2. AP. XII, 98.
3. Athenaeus (XIII, 596, C) Aethiopida memorat, ubi Doricha haud semel inducebatur. Si hoc poema de rebus mythicis tractabat, ut pristina Arctini Aethiopis, non possum intelligere cur tam saepe meretricis mentio fiebat. Crederem potius Posidippum de variis Africae urbibus mixtas fabellas historiasve narravisse. Ceterum cf. Knaackium, AL., t. II, p. 532, n. 68.
4. AC. III, 67.
5. Cf. Susemihlium, AL. I, 734 sqq.
6. VII, 297, B.

aliquandiu Sami Asclepiaden coluisse. Certum est ab utroque eosdem appellatos fuisse homines et feminas, Nicagoram [1], Cleophontem [2], Pythiam [3], Nicum vel Niconoen [4]. His vero nominum similitudinibus non nimis tribuere oportet. Fieri potuit ut poeta ab altero personam mutuaretur. Quaedam sunt scorta quae pariter in Asclepiadae et Posidippi carminibus occurrunt, quanquam ille in Co insula vixit, hic vero Alexandriae [5]. Quidquid id est, patet Hedylum Alexandriam venisse atque apud Ptolemaeos magnam vitae partem egisse. Quod procul dubio indicat argumentum epigrammatis de Zephyritidis templo [6]. Callistion meretricem perstringit, quam irriserat quoque Posidippus [7]. Aliquid rationis Hedylus videtur habuisse cum Lycophrone, cujus patrem fortasse laudavit [8]. Callimachum aemulatus est in describendis donariis Veneri Zephyritidi oblatis [9].

Quae nunc habemus servata Hedyli opera, fidelem, ut ita dicam, ejus vitae nobis imaginem praestant. Namque poetae versus ejus versanti et retractanti, haud difficile est secernere, quae imitationem Hedyles Athe-

1. AP. V, 199; cf. Asclepiaden, AP. XII, 135.

2. AP. V, 161. Hoc epigramma Hedylo dare melius est, ut infra videbimus; cf. Asclepiaden, V, 153.

3. AP. V, 159. De carminis auctore, videas infra, cap. II; cf. Asclepiaden, V, 164.

4. AP. VI, 292; cf. Asclepiaden, V, 150.

5. Philaenis aut Philaenion, V, 162 (Asclepiadae); 186 (Posidippi) et V, 202 (Posidippi ut videtur); — Pythias, V, 164 (Asclepiadae); 213 (Posidippi); — Nico, V, 150 et 164 (Asclepiadae); V, 209 (Asclepiadae ut videtur); V, 213 (Posidippi). In ultimo epigrammate restituendum est nomen meretricis Nicus, ante arsin secundi versus. Hic legitur nunc, μικρόν. Cf. H. Stadtmullerium ap. *Jahrbücher für Philologie und Paedagogik*, t. 147 (1893), p. 672 sqq.

6. AC. III, 67.

7. AC. I, 115; cf. AP. XII, 131 (Posidippi).

8. AC. IV, 25. Hic legitur Πασισωκλῆς. Sed forsan legendum: πάλι Σωκλῆς. Fuit autem Socles pater Lycophronis.

9. Cf. epigramma VI, in editione Schneideri.

niensis et Asclepiadae Samii prodant, quaeque in Aegypto conformata fuerint ad exemplaria Posidippi.

Una ex parte certum est Hedylum matris vestigia ingressum fuisse. Haec enim de Scylla epyllion excuderat. In quinque versibus quos Athenaeus ex hoc opere deprompsit, Glaucus inducitur, crudeli puellae « concham pro munere ferens ex Erythraeo scopulo, aut alcyonum pullos adhuc implumes. Lacrimas ejus, addit poetria, miserabatur etiam vicina Siren » [1]. Pariter Hedylus in epyllio cantaverat amores deorum qui in mari habitant, atque rursus de Glauco versum fecerat. Hunc enim narrabat, illecebris Melicertae captum in fluctus se projecisse ut amasium adiret [2]. Mire igitur congruebant carmina matris et filii; quod ipse declarat Athenaeus dum utriusque nomen simul commemorat.

Consentaneum erat hominem res amatorias tractantem Asclepiadae epigrammata mirari. Quare Samii fuit discipulus Hedylus sedulamque ostendit in imitando curiositatem, ut optime nuper monstravit Reitzensteinius. Duo enim sunt poemata in eumdem Nicagoram a duobus scriptoribus composita. Quorum in altero vir ostenditur vino oppressus, in altero contra vino sopitam Aglaonicen virginem vitiat [3]. Neque vero a Samii consuetudine abhorrent, quas ejus aemulus confecit, meretricum dedicationes. Sed haec epigrammatis con-

1. Cf. Athenaeum, VII, 297, B C : ἱστορεῖ τὸν Γλαῦκον... ἐλθεῖν εἰς τὸ ἄντρον « ἢ κόγχου δωρήματα » φέροντα

.....Ἐρυθραίης ἀπὸ πέτρης,
Ἢ τοὺς ἀλκυόνων παῖδας ἔτ' ἀπτερύγους
Τῇ νύμφῃ δύσπιστος ἀθύρματα. Ἄκρυ δ' ἐκείνου.
Καὶ Σειρὴν γείτων παρθένος οἰκτίσατο·
Ἀκτὴν γὰρ κείνην ἀνενήχετο καὶ τὰ σύνεγγυς
Αἴτνης.

2. AP. XII, 135 (Asclepiadae).
3. AP. V, 199 (Hedyli).

formatio, quum saepius occurrat, lectori fastidium movet. Inde apparet Hedylum in genere elaboravisse quod proprium non habebat. Nec non his in ipsis carminibus quamdam patefacit morum dissimilitudinem, quum ei multo magis compotationes curae sint, quam res amatoriae [1].

Quare libenter Asclepiaden relinquens, Posidippum adiit. Laudibus extulit opera praeclara quae tunc Alexandriae conspiciebantur [2]. Sed ante omnia eum juvat unumquemque « sale nigro perfricare ». Neque obliviscendum est Hedyles matrem Ἰάμβους, id est satiras [3], conscripsisse. Quae tamen Hedylo tribuuntur epigrammata in malum medicum [4] et vulgatas mulieres [5] quamdam commenti suspicionem movent. Multo contra majorem fidem habent versus in helluones gulosaque scorta [6].

Sic facies non una est tribus poetis, neque tamen diversa. Quod agnoscere licet leviter codicis Palatini lemmata perlustranti. In quibus haud raro duorum nomina inscribuntur, ut Ἀσκληπιάδου οἱ δὲ Ποσειδίππου, vel Ἡδύλου οἱ δὲ Ἀσκληπιάδου [7].

His fretus Reitzensteinius putat nostros scriptores simul carmina edidisse. Quin etiam se sylloges titulum novisse arbitratur. Scimus enim duas poematum silvas a Posidippo in medium prolatas fuisse, Σωρόν et Ἐπιγράμματα [8]. Σωρός de acervo usurpatur. Quem in

1. AP. V, 199; VI, 292; AC. I, 115.
2. AC. III, 67.
3. Hoc testatur Athenaeus, VII, 297, B : ...τοῦ ποιητοῦ τούτου μήτηρ, Μοσχίνης δὲ θυγάτηρ τῆς Ἀττικῆς, Ἰάμβων ποιητρίας... etc.
4. AP. XI, 123.
5. AP. V, 159, 161. De auctore epigrammatum videas infra, cap. II.
6. AC. V, 16, 17, 18.
7. AP. V, 194, 202; XII, 17 (de hoc epigrammate, cf. infra, p. 21, n. 2), 77; XVI, 68 (Asclepiadae vel Posidippi); — V, 161 (Hedyli vel Asclepiadae).
8. Cf. supra, p. 13, n. 1.

acervum conjecta fuerant, ut ait vir doctus, Asclepiadae, Posidippi atque Hedyli opera. Haec igitur esset prima Anthologia, Meleagerque Gadarenus imitator appareret.

Me vero in persuasionem non inducit ingeniosa Germani scriptoris conjectura. Neque eam probavit Knaackius. Qui tamen libentius Asclepiaden et Posidippum una conclusos fuisse arbitraretur. At illud quoque accipere nequeo.

Namque Σωρῷ inerant tantum inscriptiones in veteres heroas. Quae enim epigrammata ex ea sylloge deprompta noscimus de Beriso Pandaroque tractant. Praeterea cur Posidippus ignotum hominem Berisum laudavisset, nisi omnes uno libro conjungere voluisset personas, quae in Homeri versibus memorabantur? Ejusmodi sylvam habemus cui nomen inscribitur Aristotelis Peplus.

Quae quum ita sint, nulla est causa cur Asclepiaden Posidippi contubernalem faciamus. Eorum quidem nomina saepius juxta ponuntur in Anthologia. Sed omnia poemata duplici lemmate distincta in amoribus, vino, meretricibusque versantur. Quare nullum inde argumentum elicere possumus, atque non raro Palatini codicis lemmatista auctores in societatem vocat qui separatim opera proposuerant[1].

Unus igitur Posidippus Σωρόν fecit. Ita vero librum inscripsit, quia in eo congerebantur epigrammata, vel fortasse quia multos simul cantaverat Trojani belli heroas. Addere quoque oportet una tantum littera immutata e Σωρός fieri Σορός quod est sepulcrum vel

1. Jam Stadtmullerus, ni fallor, arbitratus est Reitzensteinii opinionem non multum praesidii habere. Cf. *Jahrbücher für Philologie und Paedagogik*, t. 147 (1893), p. 673 sqq.

rogus. Talia eruditis tertii saeculi scriptoribus non displicebant.

Sed relinquamus intricatas quaestiones; quocumque modo nobis pervenerint Asclepiadae, Posidippi, Hedyli epigrammata, jam praesto sunt. Ea seduliter intuenti fortasse poetarum effigiem accuratius delineare continget.

II

CRITICAE QUAESTIONES

Quae supersunt hodie Asclepiadae, Posidippi Hedylique opera diversis in codicibus sparsa reperiuntur. Multa epigrammata servata sunt praeclaro illo Palatino libro, qui nunc post varios casus in Bibliothecam Heidelbergensim reversus est. Quaedam apud Planudem rursus occurrunt, qui nobis aliqua poemata dedit in Palatino neglecta [1]. Non sine fructu codices quos nuper tractavit Sternbachius in Sylloge Barberino-Vaticana [2]. Ex Athenaei Deipnosophistis [3], et quodam Aegyptiaco papyro nonnulla cognoscimus [4]. Haec omnia praesto habebis in tribus voluminibus Anthologiae Didotianis typis impressae. Accedit corolla carminum quae hic in annotationibus appono [5].

1. Ea sunt quae nobis tradidit Planudes, quaeque in codice Palatino desunt : AP. XVI, 120 (Asclepiadae) ; XVI, 68, 119, 275 (Posidippi).

2. Ex iis codicibus compertum habemus epigramma AP. XII, 17, Asclepiadae vel Posidippo dandum esse. In Palatino carmen est ἀδέσποτον. Cf. *Anthologiae Planudeae Appendix Barberino-Vaticana*, Lipsiae, 1890, p. 81.

3. Servavit Athenaeus epigrammata AC. I, 116 ; III, 77, 78 ; V, 15 (Posidippi) atque AC. I, 115 ; II, 134 ; III, 67 ; IV, 25, 26 ; V, 16, 17, 18 (Hedyli).

4. E papyro quodam eruit Weilius duo epigrammata Posidippi, AC. III, 80 et 81. De quibus videas Weilium (*Un papyrus inédit de la bibliothèque de M. Ambroise Firmin-Didot...*, etc., Paris, 1879) et Blassium ap. R. M. XXXV (1880), p. 74 sqq. *(Neue Fragmente des Euripides und anderer griechischer Dichter.)*

5. I. — Asclepiadae.

Σπληδόνα τ' ἠγαθέην...

Servavit Etymologicon magnum ad verbum Ἀσπληδών. Edidit Bergkius, PLG, t. II, p. 649 (Aristoteles).

Sed ea non pari fiducia accipienda sunt, quum saepe de nominibus auctorum ambigant vel errent scholiastae. Quare, ut in firmo, ut ita dicam, solo consistere possimus, de dubiis versibus disserendum. Quod faciam secundum ordinem editionis Parisinae.

AP. V, 7 (Poeta lampada precatur quia perjura est Heraclaea). Epigramma Asclepiadae tribuunt scriba variique editores. Sed nuper commenticium esse auctoris nomen monstravit Stadtmullerus [1]. Nunquam cantavit Heraclaeam Asclepiades. Hanc contra dominam habuit M. Argentarius. Praeterea verba παρέουσα τρίς commutat vir doctus, legitque πτάρντα τρίς quod mire congruit cum alio versu quem in Argentarii operibus reperimus.

II. — Asclepiadae.

...Ὃ καὶ κυνὸς καλοῦσι δυσμόρου σῆμα.

Servavere Tzetzes, ad Lycophronem 315, et Scholiasta Euripidis Hecubae ad versum 1255. Cf. Bergkium l. l.

III. — Posidippi.

. . . . . .

Οὐδὲ Λυκαονίη δέξατό σε Ζελίη,
Ἀλλὰ παρὰ προχοῇ Σιμοεντίδι τοῦτό σοι Ἕκτωρ
Σῆμα καὶ ἀγχέμαχοι θέντο Λυκαονίδαι.

Servavit Stephanus Byzantius ad verbum Ζέλεια. Cf. Bergkium l. l.

IV. — Posidippi.

Οὐδέ τοι ἀκρόνυχοι ψυχραὶ δύνουσι Πέλειαι.

Servavit Athenaeus, XI, 491, C: ...Ποσειδίππος... ἐν τῇ Ἀσωπίᾳ. Cf. Knaackium, AL, t. II, p. 532, a. 68.

V. Hedyli (ut videtur).

Ἰραὶ τῷ Φοίβῳ, πολλὸν διὰ κῦμα θέουσαι
Ἤλθομεν αἱ ταχιναὶ τόξα φυγεῖν ἕλαφοι·
Μυρίον ἀνδράσι θαῦμα νοεῖν πάρα, πῶς ἀνόδευτον
Χεῦμα δι' εἰαρινῶν ἐδράμομεν ζεφύρων.

Servavit Strabo, XIV, cap. VI, addens : εἴθ' Ἡδύλος ἐστίν (sc. auctor) εἴθ' ὁστισοῦν. Duo distichi separatim laudantur, sed alter alterum aptissime excipit.

1. *Jahrbücher für Philologie und Paedagogik*, t. 143, p. 333; cf. epigrammata Argentarii, AP. V, 16 et VI, 333, ubi legimus :

...φίλτατε λύχνε, τρὶς ἔπταρες...

In poematio IX, 554, inest nomen meretricis Heracleae.

AP. V, 85 (Puellam hortatur juvenis ut amori indulgeat). Palat., Asclepiadae; Planud, ἀδέσποτον. Epigramma inter Asclepiadea refert Brunckius (XXI) nil de scriptore Jacobsius, Heckerus et Dubnerus.

Asclepiadae poema imputandum est. Levior enim in iis quaestionibus Planudis auctoritas. Praeterea hi versus plane Samii dicendi genus exhibent, acre et pressum. Adde quod eos in manibus habuit Meleager assiduus imitator Asclepiadae. Conferenda sunt:

τὰ τερπνὰ τὰ Κύπριδος,	et Meleagri	εἴ σοι τάδε τερπνά; XII, 95.
καὶ τί πλέον	—	τί δὲ τὸ πλέον; V, 176.
σποδιὴ... κεισόμεθα	—	κεῖμαι λείψανον ἐν σποδιῇ; XII, 74.

AP. V, 159 et 161 (De meretricibus quae probe amantes expilaverunt). Epigramma 159 in Palatino Simonidis est; epigramma 161 Asclepiadae vel Hedyli; sed rursus occurrit post epigramma XI, 9, atque hic Simonidi tribuitur.

Ob argumenti similitudinem et nomina meretricum Pythiae et Boidii quae commemorantur in duobus poematis, ea Jacobsius ejusdem scriptoris esse censebat. Quod admodum verisimile est. Quis autem fuit poeta? De hac quaestione multae prolatae sunt virorum eruditorum sententiae. Brunckius epigrammata inter Simonidea refert (LXIII et LXIV). Non de ambobus, sed de altero quidem (AP. V, 159) pariter judicat Heckerus [1]. At id ipsum Bergkius dat Asclepiadae, quum hi distichi in Pythiam scortum intendantur [2]. Sed debili argumento nititur vir doctus, namque Posi-

1. *Commentationis criticae de Anthologia graeca pars prior*, Lugduni Batavorum, 1852, p. 104. Epigramma V, 161, Hedylo dat Heckerus.
2. PLG, ad Simonidis epigramma 178.

dippus etiam de Pythia locutus est. Hedylo ea carmina tribuebat Jacobsius. Hoc mihi a vero non alienum videtur. Huic enim scriptori scimus satiras non displicuisse. Agin praeterea bis contrectavit [1]. Adde quod Pythia et Cleopho rursus apud Asclepiaden et Posidippum occurrunt [2], novimusque nostros poetas libentius easdem personas induxisse. Denique illi hexametri, multis spondaeis onusti et caesura semiquinaria distincti manum Hedyli produnt. Neque negligenda sunt vocabula quae in fine versus leguntur: αἱ Διομήδους γραῖαι, nempe mulieres crudelitate Diomedis equas exaequantes. Non aliter Hedylus in epigrammate admodum certo (AC. V, 17) induxit Ἀκρισίου λοπάδα, id est patinam tam exquisitam ut Danaen Acrisii filiam in memoriam revocet.

AP. V, 169 (Amore nihil gratius est). Palat., Asclepiadae; Plan. ἀδέσποτον. Quod inter Asclepiadea refert Brunckius (XX).

Asclepiadae tribuendum, cujus ingenii notam praebet. Quem imitatus eamdem orationis formam adhibuit Meleager, verbumque ἡδύ in initio cujusque sententiae posuit (AP. XII, 164).

Ἡδὺ μὲν ἀκρήτῳ κεράσαι γλυκὺ νᾶμα μελισσῶν·
Ἡδὺ δὲ παιδοφιλεῖν καὐτὸν ἐόντα καλόν.

AP. V, 189 (Nocte intempesta amans progreditur ad januam meretricis). Palat., Asclepiadae; Plan., Meleagri. Inter Asclepiadea Brunckius retulit (XXIII).

Asclepiadae id vindicandum. Primum enim Palatino majorem fidem tribuere praestat. Praeterea Meleager,

1. AP. XI, 123; AC. V, 17.
2. Cf. supra, p. 15, n. 5.

quando comissationes memorat, saepius nocti et lunae gratulatur; nunquam autem se fingit pluvia et vento vexatum [1]. Id autem non semel fecit Asclepiades. A verbo separatur praepositio (ἐπὶ Πλειάδα δύνει) quod non raro occurrit in versibus Meleagri [2]. Sed Asclepiades quoque sententiam ita conformavit [3]. Πάρ ante consonantem rursus offendit apud Asclepiaden, neque usurpatur a Meleagro.

V, 194 et 209 (Circa pulchram Eirenion Amores volitant inque juvenes sagittas mittunt; — Cleander Nicum videt in mari natantem, et a madente puella incenditur). Carmina Posidippo vel Asclepiadae tribuuntur in Palatino. Alterum (V. 209) Posidippo soli adscribitur in Planudea. Utrumque Brunckius Posidippeis annumerat (VI et VII).

Duo poemata eamdem speciem referunt, quae mihi admodum peculiaris videtur esse. Nunquam Posidippus tantam habuit in excogitando venustatem, et altera ex parte raro hac elaborata et florida oratione usus est Asclepiades; sed tamen usus est, ut quaedam declarant carmina [4]. Idcirco jure potior est ad vindicandos versus. Accedit ut V, 150 meretricem Nicum Asclepiades laudaverit. Hoc animadverterat Jacobsius. Parvi momenti criticis indicium esse visum est [5]; recte quidem; sed Cleander bene notus est Asclepiadae, ignotus Posidippo [6]. Denique notanda crasis in χὠ. Vocales hunc in modum contraxit saepe Asclepiades, raro Posidippus.

1. AP. V, 165, 191.
2. Cf. libellum meum de Meleagro, cap. X, § 3.
3. Cf. infra, cap. VI.
4. Cf. praesertim, AP. V, 203.
5. Cf. annotationem Dubneri in editione Parisina.
6. AP. XII, 163.

AP. V, 202 (Veneri dat flagellum habenasque meretrix Plaggo, ob victoriam quam in amatoriis certaminibus tulit de Philainide). Palat., Asclepiadae aut Posidippi. A Brunckio inter Asclepiadea relatum (XXIX).

Quaestio est difficilis, quam nullus adhuc enucleavit. Epigramma expressum est e sequente (V, 203) quod scripsit Asclepiades. Num Samius tam accurate semetipsum imitatus esset? Non credo, neque id usquam alias fecit. Verba ad epici carminis gravitatem accedunt. Hoc Posidippo magis consentaneum [1].

Omnis dubitatio sublata foret si assentiri possemus Heckero [2]. Affirmat vir doctus nos dedicationem habere in templo Arsinoes Zephyritidis inscriptam. Si hoc evinceret commentator, statim appareret scriptor Posidippus [3]. Me vero in persuasionem non adducunt Heckeri argumenta. Si bene video, hanc habet disserendi rationem :

Attente quartum versum legamus :

Ἑσπερίνων πώλων ἅρτι φρυασσομένων.

Hic alludit poeta ad divinos honores quibus decorata fuerat Aegypti regina. Audiebat enim Venus equestris, ut indagare possumus e Catulli pentametro quod in Coma Berenices invenitur.

Obtulit Arsinoes Locridos ales equos.

« Locridos » docte usurpatum est pro Zephyritidos.

Quae ingeniosa sunt et eruditionis plena at mirum in modum contorta. Sed alia quaedam animadvertit Heckerus, e quibus multo plus frugis nanciscimur.

1. Cf. infra, cap. IV, de verborum delectu.

2. Cf. *Commentatio critica de Anthologia graeca*, Lugduni Batavorum, 1843, p. 71 sqq.

3. Hoc ipse non videt Heckerus qui nomen Asclepiadae servat.

Epigrammatis scriptor ante oculos habebat Lavacrum Palladis, ubi inest

Τᾶν ἵππων ἄρτι φρυασσομένων.

Quo fretus Knaackius epigramma Asclepiadae vindicat [1]. Hic enim Callimachum irrideret, quia non pariter de Antimacho censebant. Sed inter Samium et Cyrenensem nulla apparet simultas, quum hic illum libenter imitetur. Et si fuit junior Asclepiada Theocritus, Theocrito Callimachus, aegre Lavacrum Palladis novit Asclepiades. Posidippus contra Alexandriae vivens hymnum in manibus habuit, et inde versus pro arbitrio depromere potuit.

AP. V, 215 (Poeta Heliodorae desiderio laborans precibus a Cupidine sibi petit oblivionem). Hoc epigramma post poemation XII, 19 in Palatino repetitur, et accommodatur in puerum Heliodorum. Duobus in locis scriptor est Meleager, in Planudea vero Posidippus.

Nuper conjecit Sternbachius Posidippum hos versus in amasium Heliodorum composuisse [2]. Eos postea Meleager in laudem mulieris immutavisset. Quae Knaackius non admisit, summo jure, ut mihi videtur. Nescio an Heliodorum Posidippus amaverit. Puer ille fuit servulus qui pocula ministrabat in convivio [3]. Notissima contra est Heliodora quam Meleager tam saepe celebravit. Praeterea carmen habet quoddam molle ac paene languidum, quod a Posidippo alienum est. Ipse verborum delectus nobis Meleagrica epigrammata in

1. AL., t. II, p. 525, n. 34.
2. *Meletemata graeca, Vindobonae*, 1886, p. 66.
3. AP. XII, 168.

mentem revocat. Memoremus tantum λίσσομαι, ἄγρυπνον et πτηνὰ χέοντα βέλη [1].

AP. VII, 12 (Erinna rapta ab Orco cum Pierìdis cantat apud inferos). In Palatino et in Planudea epigramma est ἄδηλον. Codex Jani Lascaris Asclepiadae nomen affert [2]. Hoc e negligentia ortum. Hoc poema cui in Palatino et in Planudea nostrum subjicitur, ab Asclepiada conscriptum est. Quod ut imitaretur, scriptor recentioris notae congestis verbis carmen excudit quod nunc praesto habemus.

AP. VII, 170 (Puer Archeanax submersus in puteo perit). Palat., Posidippi. Sic apud Planudem. Sed iterum legitur post epigramma VII, 481 tanquam Callimachi. In Posidippeis refert Brunckius (XVIII). Suavissimum hoc poemation Cyrenensis scriptoris admodum dignum est. Nunquam, quod sciam, talem artem habuit Posidippus.

AP. VII, 145 (Virtus peremptum Ajacem luget). In Palatino Asclepiadae est epigramma, apud Eustathium Aristotelis. Brunckius id Aristoteli tribuit [3]. Aliter Bergkius censet [4]. Knaackius Asclepiaden auctorem esse putat [5]. Verum, ni fallor, viderunt Bergkius et Knaackius.

Namque poema multo melius est quam cetera Aristotelico Peplo inserta. Adde quod ea uno disticho constant, nostrum vero duobus. Hoc imitatus est Antipater

1. Cf. apud Meleagrum : λίσσομαι et λίτομαι, AP. V, 151, 165; XII, 74; ἄγρυπνος, V, 152, 175, 191; πανάγρυπνος, VII, 195; πτανός, XII, 23, 76, 113, 125.
2. Cf. Dubnerum in editione Parisina.
3. *Analecta veterum poetarum graecorum*, t. I, p. 178.
4. PLG., t. II, p. 650.
5. AL., t. II, p. 525, a. 36.

Sidonius [1] notumque est Syros assiduis studiis Asclepiaden prosecutos fuisse.

AP. VII, 217 (In Archeanassam meretricem, cujus pulchritudinem anni vix imminuebant). In Palatino et apud Planudem Asclepiadae. Apud Athenaeum (XIII, 589 C) et Diogenem Laertium (III, 31), Platonis philosophi.

Nihil de hoc epigrammate asseverare velim. Id tamen inter dubia Asclepiadae reponam. Scit enim unusquisque quam multa falso ferantur sub nomine Platonis.

AP. IX, 64 (Donis ornatur a Musis juvenis adhuc Hesiodus). Palat., Asclepiadae vel Archiae; Planud., Archiae. Inter Asclepiadea poemation recenset Brunckius (XXXIV). Archiacis non adscribit Th. Reinachius [2]. Asclepiadae tribuit Knaackius [3].

Exile id carmen inutili verborum copia duplicibusque epithetis onustum Antiochensis poetae manum prodere mihi videtur. Inde natum est scribarum error, quod praecedenti carmini (IX, 63) Asclepiadae nomen adscriptum erat.

AP. IX, 359 (Nihil in vita vere gratum est). Palatin., Posidippi vel Platonis Comici; Planud., Posidippi vel Cratetis Cynici; in Stobaei florilegio, Posidippi. Varia in variis codicibus, de quibus videas Dubnerum in editione Parisina — Brunckius poema Posidippeis annumerat (XVI). Hoc Jacobsius [4] vere ἄδηλον esse declarat.

1. AP. VII, 146. Archias quoque (VII, 147) in mortuum Ajacem epigramma conscripsit.
2. *De Archia poeta*, Parisiis, 1890, p. 30, a. 8.
3. AL., t. II, p. 526, a. 37.
4. *Anthologia graeca*, t. VIII (*Animadversiones*, t. III), p. 150.

Posidippo abjudicat Knaackius [1], rectissime, ut censeo. Namque in florilegio Stobaei, tantum inveniuntur Posidippi comici excerpta. Et jam ob Platonis comici nomen, conjiciendum esset in Palatino scribam non de Posidippo Alexandrino locutum fuisse. Addam observationes de dialecto. Nunquam noster ειο in genitivis, et formas ut πρήξιες usurpavit.

AP. IX, 752 (De sigillo Cleopatrae). Palat., Asclepiadae vel Antipatri Thessalonicensis; Planud., Asclepiadae. Brunckius [2] epigramma ponit inter Asclepiadea (XXXIII). Samio non abjudicat Jacobsius. Subditicium Knaackius id esse putat [3].

Jacobsium sequor; Cleopatra fortasse est illa Philippi filia quae circa Aegaeum mare plurimum versata, anno 308 diem obiit 4, et facile crediderim Posidippum exemplo magistri concitatum, de lapide pretioso poema composuisse (AC. III, 79). Mire congruunt in duobus carminibus verborum repetitiones : γλύμμα, γέγλυμμαι — γλυφὲν, ἐγλύφετο, γλύμμα.

AP. IX, 762. Epigramma est Ablabii. In Planudea autem tribuitur Asclepiadae, errore manifesto, qui ortus est e lemmate : Εἰς ἄϊσκον Ἀσκληπιάδου.

AP. XI, 123 (De pravo medico Agide). Palatin., Hedyli. Quid apud Planuden inscriptum fuerit ignoro. Editio prima dat ἄδηλον, sed forsan, ut animadvertit

1. AL., t. II, p. 532, a. 68.
2. *Anthologia graeca*, t. VII (*Animadversiones*, t. II), p. 54.
3. Wohl unächt, AL., t. II, p. 525, a. 35; ubi per errorem inscriptum IX, 152.
4. Cf. Droysen, *Histoire de l'Hellénisme*, traduction Bouché-Leclercq, t. III, p. 671.

Jacobsius [1], hoc ex Ἡδύλου natum. Brunckius Hedylo imputat epigramma (V). Knaackius dubitat [2].

Hoc genus satirarum praesertim imperantibus Romanis in honorem venit. Sed fuit quoque Hedylus acerbus homo pronusque ad irridendum. Agin saepe lacessivit [3], neque respuit noster verba e medio desumpta ut σοροπηγοί [4].

AP. XI, 414 (De podagra filia Bacchi et Veneris). Palat., Hedyli; Planud., ἄδηλον. A Brunckio inter Hedylea receptum (VI). Diffidit Knaackius [5]. Dubium carmen quod nullam fert notam temporis.

AP. XII, 17 (Multo validior est in pueros quam in feminas amor). Ἄδηλον in Palatino, at nuper Sternbachius legit in membranis [6] : Ἀσκληπιάδου ἢ Ποσειδίππου. Censet vir doctus carmen ad Posidippum potius referendum esse, ob gemellum locum. AP. V, 211 :

..... τί μ' ἐγείρετε πρὶν πόδας ἆραι
Ἐκ πυρὸς εἰς ἑτέρην Κύπριδος ἀνθρακιήν.

Cf. XII, 17 :

... πυρσοί
Ἄρσενες ἀσβέστῳ θῆκαν ὑπ' ἀνθρακιῇ.

Assentitur Knaackius [7]. Sed apud Asclepiaden quoque perpetuo cernuntur ἄνθρακες et ἀνθρακιαί. Notandum est inter Posidippi epigrammata nullum tuto ad pueriles amores referri posse. Nam quod infra videbimus XII-77,

1. *Anthologia graeca, ad fidem codicis... palatini edita*, 1813-1817, t. III, p. 680.
2. AL., t. II, p. 533, a. 74 : ...Sieht nach später Mache aus.
3. Cf. supra, p. 24, n. 1.
4. Cf. infra, cap. III, de verborum delectu.
5. AL., t. II, p. 533, a. 74.
6. Cf. supra, p. 21, n. 2.
7. AL., t. II, p. 531, a. 64.

plane ad imitationem Asclepiadae confectum est. Animadvertas quoque craseos usum qui Posidippo displicet.

AP. XII, 77 (Puer, additis alis arcu et pharetra, admodum similis Amori evaderet). Palat., Asclepiadae vel Posidippi; apud Brunckium inter Asclepiadea (III). Nihil contra affert Jacobsius [1] Posidippo adscribunt Knaackius [2] et Sternbachius [3].

His libenter adstipulor. Epigramma enim expressum est ex alio quod (XII, 75) sub Asclepiadae nomine refertur. Plane consentaneum est ingenio Posidippi, quae Samius invenerit prolixiore oratione et exquisitis verbis exornare.

AP. XVI, 68 (De statua Berenices) Asclepiadae vel Posidippi. Inter Asclepiadea apud Brunckium (XXXII). Posidippo libentius darem. Hic enim Alexandriae vixit, et aemulatus est Callimachum Berenices assentatorem. Elisio intercedit post tertium trochaeum, quod multo magis Asclepiadae quam Posidippo alienum est.

AP. XVI, 120 (De imagine Alexandri). Archelai vel Asclepiadae. Archelao adjudicat Brunckius [4].

Asclepiadae tribuam. Primum quia epigramma Posidippo imitationis locum praebuit [5]. Deinde quod illud etiam tractavit Meleager [6], et verba in jocum detorsit, lusu Anthologiae poetis non ingrato. Conferas :

... Ὁ χάλκεος εἰς Δία λεύσσων
et ... Ὁ γὰρ καλὸς εἰς Δία λεύσσει.

1. *Anthologia graeca*, t. VII (*Animadversiones*, t. II), p. 22.
2. AL., t. II, p. 531, a. 64.
3. *Appendix Barberino-Vaticana*, p. 49 sqq.
4. *Analecta veterum poetarum graecorum*, t. II, p. 58.
5. AP. XVI, 119.
6. AP. XII, 68.

Jam licet constituere seriem epigrammatum de quibus disserere proponamus [1].

Asclepiades : AP. V, 64, 85, 145, 150, 153, 158, 162, 164, 167, 169, 181, 185, 189, 203, 207, 210; VI, 308; VII, 11, 284, 500; IX, 63; XII, 46, 50, 75, 105, 135, 153, 161, 162, 163, 166; XIII, 23; S. 1, 2.

1. Parisinam sequor quae omnibus in manibus est. Attamen nonnulla sunt in quibus editoribus adstipulari non possim. Appono igitur lectionum varietatem, cujus magna pars mihi e libris Jacobsii, Kaibelii, Stadmullerii, Pregeri, ceterorumque defluxit.

AP. V, 164. Asclepiadae, 1. οὐκ ἀλαήν — οὐδ' ἄλλην (sc. θεάν). Ἀλαός conjectura est Heckeri admodum inutilis. Post μαρτύρομαι comma delendum est. De verborum conduplicatione memorare possumus Meleagrum. AP. V, 8 :

Νὺξ ἱερὴ καὶ λύχνε, συνίστορας οὔτινας ἄλλους
Ὅρκοις, ἀλλ' ὑμέας, εἰλόμεθα.

AP. V, 167. Asclepiadae, 1. ἔρωτι — ἐρῶντι.

AP. V, 181. Asclepiadae, 1. Τῶν καρίων — Τρεῖς Καρίων.

AP. V, 211. Posidippi. Δάκρυα servo. Si quis ferre non potest lacrimas cum comissationibus consociari, legat epigramma Meleagri, V, 190.

AP. V, 213. Posidippi, 2. μικρόν — Νικοῖ. Cf. Stadmullerum, ap. *Jahrbücher für Philologie und Paedagogik*, t. 147, 1893, p. 667-676.

AP. XII, 105. Asclepiadae, 2. ὑψοῦ — υἱοῦ.

AP. XII, 162. Asclepiadae, 1. οὐμός — ἁβρός. Οὐμός sententiam impedit — ὑποστρέφεται — ὑποτρέφεται. Ὑποτρέφεται est in codice Palatino, neque contra consuetudinem Graecorum est scribere : παρὰ τὴν Κύπριν ὑποτρέφεται. Educatus a Venere ludit et vagatur.

AC. I, 115. Hedyli. De hoc epigrammate cf. Kaibelium in editione Athenaei, Lipsiae, 1887-1890, XI, 486, B. 3, ζωροῖς μέτροισι — ζωραῖς μύρρησι.

5. Γε — σύ; πάλι τῶν — πάντων.

AC. I, 116. Posidippi, cf. Pregerum, *Inscriptiones graecae metricae*, Lipsiae, 1891, p. 96, 1, ποταμῷ — πόντῳ, quod jam requirebat Jacobsius. Zephyritidis enim templum non in ripa fluvii, sed juxta mare positum erat. Quae contra affert argumenta Cougny, hic non faciunt.

3. Ζεφυρηΐδος — Ζεφυρίτιδος. Quae justa forma est, cf. Pregerum, *Inscriptiones graecae metricae*, Lipsiae, 1891, p. 96.

5. Τοί — καί. Καί est in codice atque nihil habet quod displiceat. Cf. *infra*, p. 66.

AC. II, 134. Hedyli, cf. Kaibelium, *op. cit.*, IV, 176, C D. :

3. Οἴχωκε, Σκιρπάλου υἱός — εἶχεν δὴ Σκίρπαλος υἱόν.

5. Κυδαίνων — ἀείδων.

6. Τὰν παλαμᾶν ἀρετὰν αἴσιμα σημανέων — Τοὔνομα, πᾶν μολπῆς ἥδυμα σημανέον. Cf. *infra*, p. 40, n. 2.

7. Δέ — δή.

8. Καὶ — ἦ.

(Dubia: AP. V, 194, 209; VII, 145, 217; IX, 752; XII, 17; XVI, 120.)

Posidippus: AP. V, 134, 183, 186, 211, 213; VII, 267; XII, 45, 98, 120, 131, 168; XVI, 119, 275; AC, I, 116; III, 77, 78, 79, 80, 81; V, 15; S, 3, 4.

(Dubia: AP. V, 202; XII, 77; XVI, 68.)

Hedylus: AP. V, 199; VI, 292; AC. I, 115; II, 134; III, 67; IV, 25, 26; V, 16, 17, 18.

(Dubia: AP. V, 159, 161; XI, 123, 414; S, 5.)

9. Καὶ τόν — ἢ καί; τὸν Πάγκαλον — καὶ Πάκαλον.

AC. III, 67. Hedyli, cf. Kaibelium, *op. cit.*, XI, 497, D E.:

5. Γεγωνεῖ — γέγωνεν.

7. Ὁποῖον — ὁκοῖον.

AC. III, 77. Posidippi, cf. Kaibelium, *op. cit.*, XIII, 596, C D.:

2. Ἔμπνοος — ἔκπνοος.

4. Σαπφὼ, σαὶ — Σαπφῷαι.

6. Ἔστ' ἂν ἴκῃ Νείλου ναῦς ἔφαλος τενάγῃ — Ἔστ' ἂν ἵῃ Νείλου ναῦς ἐφ' ἁλὸς πελάγῃ.

AC. III, 80. Posidippi, cf. Pregerum, *op. cit.*, p. 96:

3. Σκοπιωροὶ ὡς ἐπὶ νήσων — σκοπαὶ οὔρεά θ' οἵ' ἐπὶ νήσων.

5. Τέμνειν — τέμνων.

7. Τε φόως ἐν κύματι — δὲ θέων σὺν κύματι.

8. Post ὄψεται comma deleo.

AC. III, 81. Posidippi, cf. Pregerum, *op. cit.*, p. 96:

3. Τῆς δέ — τῆσδε.

AC. IV, 25. Hedyli, cf. Kaibelium, *op. cit.*, XI, 473, A B.:

1. Πασισωκλῆς — πάλι Σωκλῆς.

5. Πουλύ — πολὺ δή.

AC. IV, 26. Hedyli, cf. Kaibelium, *op. cit.*, XI, 473, A.:

2. Εὔροιμεν — εὕροιμ' ἄν.

AC. V, 15. Posidippi, cf. Kaibelium, *op. cit.*, X, 414, D E.:

5. Ἀμαυρά — ὁ μαυρά.

7. Ὁ τριχὶ — ἄθριξ.

AC. V, 18. Hedyli, cf. Kaibelium, *op. cit.*, VIII, 344, F. Hexameter adeo corruptus est, ut nihil ex eo elicere possimus:

2. Χορδάς — χορδάς θ'.

III

DE DIALECTO

Plerumque scriptores Graeci, pro arbitrio atque argumentorum varietate, vel ionicum vel doricum sermonem usurpaverunt. Qua libertate usi sunt epigrammatum auctores. At non eadem semper apud eos consuetudo valuit. Namque Syri, ut Antipater Sidonius et Meleager Gadarenus, dorica verba pluris faciunt. Nostris vero poetis ante omnia placent ea quae Ionibus accepta, epicorumque auctoritate firmata, ab omnibus fere versuum scriptoribus suscepta fuerant. Hanc speciem plurima vocabula apud Asclepiaden referunt, ut ex apposita tabella apparebit :

Μούνῳ, XII, 50; οὔνομα, IX, 63; πουλύν, XII, 50.

Εἰαρινόν, V, 169; Κλειοπάτρης, IX, 752; χαλκείων, V, 64.

Ἀνιηρόν, V, 189; ἠγαθέην, S, 1; νῆα, VII, 500; πρηεῖς, V, 209; τρηχεῖα, VII, 284.

Αἴδας, VII, 11; γαίης, V, 209; ἥεισε, IX, 63.

Ὅσσον, XII, 153; τόσσον, XII, 17; μεσσοπύλης, V, 203.

Κείνης, V, 189, 209.

Ἄρσην, ἄρσενες, XII, 17.

Ἐνί, V, 209 [1]; πάρ, V, 189, 210.

Αἰ, V, 167; εὖτε, VII, 500 [2]; ἠδέ, V, 162 [3].

1. Ἐνί vel a tragicis poetis admittitur, sed ep. V, 209, ionicum est.

2. Εὖτε fere apud omnes poetas reperitur. Id appono quia epigramma VII, 500, plane ionicorum scriptorum imitationem prodit.

3. Ἠδέ potius ionicum est, quanquam id tragici in melicis partibus patiuntur.

I. Declinationis feminina vocabula : Ἀλλοτρίη, IX, 752; λαμυρή, V, 162; μακρή, V, 189; Παφίη, V, 158, 209; σεμνοτέρη, IX, 63; σποδιή, V, 85.

Γαίης, V, 209; δολίης, V, 189; θηλυτέρης, XII, 17; θύρης, V, 145; Κλειοπάτρης, IX, 752; νοτερῆς, V, 209; πορφυρέης, V, 194; πυρκαιῆς, VII, 217; φιλίης, V, 209; XII, 163.

Ἀνθρακιῇ, XII, 17; σποδιῇ, XII, 50.

Ἀνθρακιήν, XII, 166; ἐμπορίην, VII, 500; ἡγαθέην, S, I; ἡσυχίην, XII, 166; θύρην, V, 167; σποδιήν, VII, 284; τέφρην, XII, 166; χρυσέην, XII, 162[1].

I. Declinationis masculina vocabula : Βορέης, V, 167; VII, 500; Μελεαγόρη, VII, 500; Νικαγόρην, XII, 135. Has formas perraro usurpant epigrammatum poetae. Animadvertendum haec omnia nomina propria esse, duoque in carmine reperiri quod ionicum magis colorem praebeat. Εὐμάρεω (VII, 284), similibus de causis apponitur.

II. Declinationis vocabula : Ἠθέοισι, V, 194; ζωοῖσι, V, 85; ὄστεα, V, 85; VII, 284.

III. Declinationis vocabula : Φιλοκράτεος, XII, 162; Νικοῦν [2], V, 209.

Ἄνθεα, XII, 163.

Ἀνθέων, V, 158; ἑτέων, XII, 46; ὑμέων, XII, 166.

Addenda sunt quoque, ob neglectam contractionem : ἀργυρέας, V, 181; πορφυρέης, V, 194; χάλκεος, XVI, 120, in poemate dorico, χαλκείων, V, 64; χρυσέην, XII, 162; χρύσεον, V, 203 *bis*; χρύσεα, V, 158; χρυσέων, V, 194.

1. Apud Homerum γαῖα tantum occurrit (cf. tamen Ebeling, *Lex. Hom.*). Poetae recentes libenter γαίην adhibent (cf. Dindorfium in Stephani Thesauro).

2. De hac verbi conformatione, cf. G. Meyerum, *Griechische Grammatik*, p. 324.

Verba. Hic imprimis notanda quae incrementum non patiuntur : Θήκατο, VI, 308; θῆκαν, XII, 17.

Adscribam quoque ἀνιήσας, XII, 153; φιλέων, XII, 105; φιλέοντα, V, 85; φιλέοντας, V, 169.

Ea sunt apud Asclepiaden quae doricum characterem exhibeant :

Ἄδε, VII, 145; ἀώς, XII, 50; ταλίκον, VII, 11; ὀγδώκοντα, VI, 308; XIII, 23 [1]; τετόρας, V, 185.

I. Declinationis feminina vocabula : Ἀ, Ἀρετά, Ἀπάτα, βεβολημένα, κειραμένα, VII, 145; ἄς VII, 217; παρθενικᾶς, VII, 11.

Γᾶν, XVI, 120; μορφάν, XVI, 120; ὅλαν, XVI, 120; τάν, VII, 217 [2].

I. Declinationis masculina vocabula : Αἴδας, VII, 11; κοιμίσταν, XII, 50.

III. Declinationis vocabula : Ἐννεακαιδεκέτευς, VII, 11.

Pronomina ἐμεῦ.

Verba : Ἀπώλευ, XIII, 23; ἀρνεύμενον, XII, 135; αὐδασσοῦντι, XVI, 120 [3].

Animadverterunt quoque viri docti in epigrammate V, 209, εἴχσαν pro εἶχον atque hic dialecti Alexandrinae notam deprehendere sibi visi sunt [4]. Poemation igitur

1. Ὀγδώκοντα pariter ionici et dorici sermonis est. Sed hic reperitur in epigrammate dorico.

2. Τόλμαν, XVI, 120 non doricum est, quum ultima syllaba corripiatur.

3. Hoc e Plutarcho desumptum qui epigramma laudat, cf. editionem Parisinam. Planudes praebet αὐδάσοντι quod potius videbatur Boissonadio. Hunc sequitur Sternbachius, *Meletemata graeca*, p. 77.

4. Cf. Knaackium, AL, t. II, p. 698.

Posidippo tribuunt. At senescentibus graecis litteris multa inveniuntur apud scriptores verba in σσω exeuntia. De quibus videas Meyerum [1].

Nonnulla Posidippus ex Ioniae poetis desumpsit :

Οὔνομα, XVI, 275; AC, III, 77; οὖρεα, AC, III, 80.

Εἵνεκεν, XVI, 275; ξεῖνε, XVI, 275; ξείνῃ, AC, III, 80.

Ἀνηρῷ, XII, 98; λίην, XII, 168; Μήονιον, AC, III, 78; πτηνοῖσι, XVI, 275.

Μέσσον, AC, III, 81; μέσσῳ, I, 116.

Ἄσσα, AC, III, 78; ἀσφαλέως, V, 183; θαρσαλέῃ, XVI, 119; κέν, AC, III, 80; πολλόν, VII, 267; τίπτε, XVI, 275.

I. Declinationis feminina nomina (masculina desunt): Ζελίῃ, S, III; θαρσαλέῃ, XVI, 119; Λυκαινίῃ, S, III; πάτρῃ, AC, III, 78; φαρέτρῃ, XII, 77.

Συνθεσίῃς, AC, III, 78; Συρίῃς, XII, 131; Φαρίῃς, AC, III, 81.

Δεξιτέρῃ, XVI, 275; προχόῃ, S, III.

Ἀνθρακιήν, V, 211; διδασκαλίην, XVI, 275; ἑτέρην, V, 211; εὐπλοίην, AC, I, 116; πορφυρέην, V, 202.

II. Declinationis vocabula: Ἀθανάτοισι, XII, 45; πτηνοῖσι, XVI, 275; ὅστεα, AC, III, 77.

III. Declinationis vocabula: Ἄνα, AC, III, 80.

Πλατέος, AC, III, 79.

Ψεύδεϊ, AC, III, 79.

Ἀνεμώδεα, AC, III, 81; νημέρτεα, V, 202.

Δάκρυσσι, V, 186; ποσσί, XVI, 275 *bis*.

Addenda, ob neglectam contractionem : Ἀργυρέων,

1. *Griechische Grammatik*, p. 415.

XII, 77; ἔκπνοος, AC, III, 77; πορφυρέην, V, 202; ὑμέων, XVI, 275; χάλκεος, AC, III, 78; χρύσεα, XII, 77.

De verbis apponamus : Δέξατο, S, III; θέντο, S, III; θήκατο, AC, I, 116; θῆκε, XVI, 275, et V, 202.

Ἀνακοιρανέουσαν, AC, I, 116; ἐπῄτεον, AC, III, 78; ἐών, XII, 120; ἧψαο, AC, III, 77; μενέουσι, AC, III, 77; τροχάω, AC, XVI, 275; χέες, XVI, 119.

Peculiaris est conformatio verbi φαληριόωντα, AC, III, 79. Quae, quanquam non communis est, admittitur ob ipsam verbi naturam quod epici quiddam habet.

Dorica sunt : ᾶ, XII, 131 *bis*, ἀ, V, 134; ἄδε, XVI, 68; Βερενίκας, XVI, 68; μορφᾶς, XVI, 119; ὁρᾷ, XVI, 119, pro ὁρᾶ.

Hedylus ante omnia delectatur ionicis vocabulis. E quibus accensenda mihi videntur :

Πουλύ, AC, IV, 25.

Εἰαρινῶν, S, 5.

Ἀκρήτοις, AC, II, 134; ἠὐλητρίς, V, 159 (nisi forte habeamus crasin : ἡ αὐλητρίς); νηόν, AC, III, 67; νηῷ, AC, III, 67; νηυσί, V, 161; Πριήπῳ, VI, 292.

Ἀείδων, AC, II, 134; ἱραί, S, 5; ἑκεῖον, AC, III, 67; πολλόν, S, 5; ὑπαί, AC, II, 134.

I. Declinationis feminina vocabula :

Ἠμετέρῃ, AC, V, 16; Παφίῃ, AC, I, 115.

Αἰδοίης, AC, III, 67; θαλίης, AC, III, 67; πορφυρέης, AC, I, 115.

Προχόην, VI, 292; τοίην, XI, 123; χρυσέην, VI, 292.

Μουσέων, AC, II, 134.

Θυμέλῃσι, AC, II, 134; μύρρῃσι, AC, I, 115.

I. Declinationis masculina vocabula : Ἀριστηγόρης, XI, 123; Ἀνταγόρην, V, 161; Ἀριστηγόρην, XI, 123; χρυσορόης, AC, V, 17; Νικαγόρεω, V, 199.

II. Declinationis nomina : Τετραχόσιοι, AC, IV, 25.

III. Declinationis vocabula : Ἡσῦν, AC, IV, 25. Hoc prorsus insolitum est. Namque συν in accusativis occurrit quidem apud Asclepiaden, et in quibusdam ionicis titulis, sed hanc peculiarem vocabuli conformationem praesertim propria nomina patiuntur, Ἀρτεμοῦν, Δημοῦν, Μητροῦν. Hesychius tamen affert κακεστοῦν, = κακὴν κατάστασιν [1].

Χόας, AC, I, 115, nihil habet quod miremur.

Addenda sunt : Πορφυρέης, AC, I, 115; χρυσέην, VI, 292; χρυσέου, AC, III, 67; χρύσεοι, VI, 292. De verbis apponam σάου, AC, I, 115, γέγωνεν, AC, III, 67, et σημανέον, AC, II, 134.

Rarissime dorica dialecto utitur Hedylus. Notatu digna tantum invenio τοί (pro οἱ), VI, 292, et κήν (καὶ ἐν), AC, II, 134 [2].

Tabellas intuentibus quaedam nobis apparent differentiae. Posidippus cum Asclepiada comparatus mitiorem Doridem servat. In Hedyli carminibus, pro versuum exiguo numero, altius impressus est ionicus character. Attamen mire tres poetae congruunt, quod tibi mani-

1. *Griechische Grammatik*, p. 324.

2. Unde vides abjiciendum esse, AC. II, 134 :

Τᾶν παλαμᾶν ἀρετάν.

Hoc vel Asclepiades aegre passus esset. Locus admodum est corruptus, at libentius legerem :

... τοῦτο γὰρ εἶχε
Τοὔνομα πᾶν μολπῆς ἥδυμα σημανέον.

In codicibus :

... πανμαρπανηδυσμασημανεων.

Vocabulum ἥδυμα accepit Casaubonius.

festum erit si alios in censum vocabis. Theocritus et Callimachus multo magis a communi sermone discrepant, nec non ipse Meleager qui οιο in genetivis et αισι in dativis non respuit.

Interdum nostri consulto opibus pepercere, quas in manibus habebant. Saepe nullam peculiarem dialecti notam ostendit Asclepiades. Quod ne mireris: homo poesin e medio hauriens, et libidinum aculeis instinctus, non semper ornamentis exquisitaque oratione se implicari patiebatur. Ubi perjuram Nicum exprobrat, et, quum jam meretricem venturam esse desperet, puerum jubet lucernam exstinguere, vel ubi laudibus ornat Dorcion, eam speciem exhibent epigrammata quam Graeci κοινήν vocabant. Neque parvam inde voluptatem percipimus. Hoc dicendi genus quasi nudum est, sed eo expeditius, nosque pro scriptore cum gaudio hominem reperimus et amantem [1].

Hanc artem Posidippus ab Asclepiada mutuatus est, sed non ita saepe, atque praesertim in carminibus quae ad magistri imitationem conformata sunt. Quod fit in amatoriis [2]. Pariter satira qua Phyromachus inducitur, nullo vano apparatu instructa, simplex est et expedita, ad feriendum [3]. Similia similibus in locis apud Hedylum animadvertes. Hic annumerandi versus de voraci meretrice Clio, et ii quibus poeta se ipsum incitat ut comissetur [4].

At frequentius nonnulla verba e variis dialectis desumpta epigrammati ut condimentum salsamentumque addita sunt. Ionica poemata apud tres nostros scripto-

1. AP. V, 150, 153 (ubi prius legebatur πόθοισι βεβλημένον quod defendi potest), 207; XII, 75, 161.
2. AP. V, 213.
3. AC. V, 15.
4. AC. V, 16; IV, 26.

res invenies. Dorica sunt quaedam apud Asclepiaden [1], pauca apud Posidippum [2], nulla apud Hedylum. His coloribus plus minus versus imbuti sunt. Aliquoties unum est vocabulum quod a communi consuetudine abhorreat [3]. Aliquoties grave aliquid insolitumque verba sonant, ut acrius animos afficiant auditorum. Asclepiades de naufragis locutus multa usurpat ionica [4], quibus oratio fit solemnior. Adde quod mortuorum alter insulam Chium habitabat. Epigramma quo nobis natans ostenditur Nico [5], omnibus lenociniis decoratur, neque ea in oblivionem posita sunt, quae ministrare potuit dialectus. Ubi facilis Hermionae aurea zona describitur [6] molles Ioniae modos adhibet poeta, quod est aptissimum. Elogium Erinnae doricum est [7]. Dorica enim sunt epigrammata Erinnae quae in Anthologia nobis occurrunt. Doricam speciem exhibet carmen de filio Botryis, quod imprimis in epheborum titulis acceptum [8].

Hanc artem pariter novit Posidippus. Quando heroa memorat ab Homero cantatum, Homeri exempla non obliviscitur [9]. Aegyptios vocans ut Venerem Arsinoen propitientur, producta Ionum vocabula magnificentiamque epici carminis quaerit sedulus assentator [10]. Simili modo de Theugenis rabida fame dicit, et ipsa jactantia verborum helluo fit magis ridiculus [11]. Cetera

1. AP. VII, 11, 217; XIII, 23; XVI, 120. Notabis multo magis sepulcralia quam amatoria dialecti copiis exornari.
2. AP. XVI, 68, et XVI, 119.
3. AP. V, 186, δάκρυσσι.
4. AP. VII, 284, 500.
5. AP. V, 209.
6. AP. V, 158.
7. AP. VII, 11.
8. AP. XIII, 23.
9. S, III.
10. AC. III, 81.
11. AC. III, 78.

generis ejusdem vidimus in poematio quod tribadum nequitias breviter attingit [1]. Neque poeta doricae dialecti pondus despicit. Majestas digna deae his in precibus inest [2] :

Ἄ Κύπρον, ἅ τε Κύθηρα, καὶ ἃ Μίλητον ἐποιχνεῖς.

Affirmare nolo haec omnia Hedylo aliena fuisse, at certum est nihil tale deprehendi in versibus quos praesto habemus. Attamen in carmine de sacris quibusdam cervis ionica vocabula gravitati prosunt et relligioni [3].

Poetae Graeci vel in uno opere tenorem non servabant, at variarum dialectorum formas temere commiscebant. Quae licentia magis magisque crevit, adeo ut prodigialiter variatum evaderet apud Meleagrum sermonis genus. Multo majore cum modestia agunt nostri. Quaedam tamen praebent codices quae non scribarum ignorantia tulit sed consulto quaesivit poeta.

Sunt quae non offendant. Asclepiades in dorico epigrammate usurpare potuit κρέσσων et praesertim contractionem negligere quod fit vel in titulis doricis 4. Alia magis displicent. Nescio an doctus scriptor in eodem carmine passus esset τάν et πυρκαιῆς [5]. Sunt autem nonnulla in quibus haeremus, quaeque nostri cum ingeniosa quadam sedulitate adhibuerunt. Post versum dorico sermone conscriptum addit Posidippus :

...καὶ Συρίης ἱπποκρότου δάπεδον.

Jacobsius hic legere vellet Συρίας. At fortasse vocalis

1. AP. V, 202.
2. AP. XII, 131.
3. S, 5.
4. AP. VII, 145 ; XVI, 120.
5. AP. VII, 217.

ῃ admittitur ob nomen Homericum δάπεδον [1]. Sed illa dubia sunt, haec certiora. Asclepiades primo μοῦνος et σποδιῇ adhibet, deinde clamat : δάκτυλος ἀώς [2]. Haec verba ex Alcaeo ducta sunt, inde usus formae quae dorica est, sed propius ad aeolicam accedit [3]. Post ἀώς cernimus κοιμιστάν quod praecedens vocabulum tutatur.

Hedylus in versibus qui ionicam linguam redolent dixit tamen dorice [4] :

... τοί τε Λάκωνες
Πέπλοι...

ob id ipsum quod vestis est laconica.

Sed haec omnia mihi non magni momenti videntur. Pudenter hanc veniam nostri sumpsere raroque dialectorum vocabula miscuerunt; accurate potius rem egerunt et nituntur ut quae in manibus habent ingeniose disponant. Neque apud eos desiderare debemus haec admodum peculiariter conformata quae aliis insunt poematis. Epigrammatum enim scriptores non deos, neque heroas, neque pastores socios habent. Juvenem peremptum laudant, principibus blandiuntur, praeclaras statuas describunt. Unicuique narrant quid fecerit, dixerit aut viderit. Quare decet eos non multum a sermone vulgato deflectere.

1. AP. XII, 131.
2. AP. XII, 50.
3. Aeoli usurpabant αὔως.
4. AP. VI, 292.

IV

DE VERBORUM DELECTU

In Graecia omnis poeseos principium et fons fuere Homeri carmina. Homerum semper in conspectu scriptores habebant, sive ab eo res mirifice gestas, sive illustres personas, sive denique splendida vocabula mutuarentur. Hoc immenso orationis thesauro non abstinuere epigrammatum scriptores, atque plurima sui juris fecerunt, vel antiquitatis majestate, vel poetico nitore decorata. Neque tragicorum inventa spernebant, imo ea despicere non poterant, quae exeunte saeculo quarto sensim attulerat immutata pristinae vitae consuetudo. Quod nobis in propatulo erit, Asclepiadae et sociorum artem expendentibus.

Homerica multa habet Samius. Haec eum supra vulgaris linguae humilitatem extollunt. Sed non e longinquo petuntur, atque sunt praesertim ex iis quae vel cursim Iliadem perlegens unusquisque memoria custodiat [1]. Pariter multa afferuntur e poetis qui post Homerum vixere. Sed animadvertendum est levem scriptorem rarissime longorum adjectivorum farraginem quaesi-

1. Αἰγιαλός, V, 209; ἄλγος, V, 167; ἄνασσα, IX, 752; ἀστεροπή, V, 153; βέλος, XII, 161; ἰός, XII, 50; κῆδος, XIII, 23; κτέαρ, IX, 752; παρθενική, VII, 11; φρένες, V, 209.

Ἄσβεστος, XII, 17; αὐτός (solus), VII, 500; γλυκερός, V, 153; δύσμορος, S, 2; ἠγάθεος, S, 1.

Ἀλύω, V, 167 (mutato sensu); βρίθω, V, 194; μίμνω, V, 145; νίσσομαι, V, 189.

visse [1]. Quando sequipedale verbum adhibet id potius ipse fingere solet [2]. Nonnulla in ejus epigrammatis e comoediis defluxerunt, atque non mediocres sales inge-runt poematis ad mimorum similitudinem compositis. Μυρώπολις (V, 181), καρίς (V, 185), ζωνίον (V, 158), σκόμβρος (V, 181), et κέρματα (V, 181) bene nota sunt iis qui Aristophanis comoedias perlegerunt. Si in magna urbe habitavisset Asclepiades, ab incolis communia verba mutuatus esset. Ei profuit Alexandriae non vixisse. Recentiorum tamen inventa in versibus aliquoties admisit, at rarissime. Annumerabo tantum :

Γλαυκίσκος (V, 185). Occurrit verbum apud varios co-moediae novae scriptores, quos in Thesauro Stephani laudatos invenies.

Λύγδος (V, 194). Nunquam ante Asclepiaden reperitur, sed procul dubio est lapidis nomen non a poeta fictum fuisse. Voces enim quae res novas indicant, simul atque res ipsas in usum veniunt.

Similis est quaestio de verbo ἀναλέγομαι, IX, 63. Hoc enim non est « colligere » sed « scripta legere ». Patet hanc novam significationem, ab Asclepiada illatam non fuisse : auctores sunt omnes Graeci qui exeunte quarto saeculo vixerunt.

Alia sunt quae, licet ab antiquis scriptoribus admissa, multo magis tertii secundive saeculi scriptoribus pla cuere. Ex eis vocabulis apponam κοπιάω, XII, 46; λαμυρός, V, 162, et σφίγγω, XII, 135.

At nonnulla, ut conjicere possumus, ipse intulit Asclepiades. In μάραγδον (XII, 163) litteram omisit, ut

1. Asclepiades quidem ἀχέντητος e Pindari carminibus desumpsit (*Olymp.*, I, 21), sed verbum inest in poematio quod multum differt a ceteris. Insuetum dicendi genus quaesivit scriptor, ut carperet meretricem (V, 203).

2. De quibus videas infra, p. 47.

versum pangeret. En alia quae potius decoris causa inventa sunt.

Εὔκνημος, V, 203; ἱππαστῆρ, V, 203; κοιμιστής, XII, 50; μελιχρός, XII, 153; μεσσοπύλη, V, 203; παρέρπω, XIII, 23 (cf. tamen CIG, 2599); τελεοδρόμος, V, 203; τοξεφορέω, XII, 162; φιλεξαπάτις, V, 164; φιλέφηβος, XII, 161; χαλαζοδολέω, V, 64. Adde ἐπιδύνω, V, 189, et καταθήγω, XII, 50. Quae est conjectura Boissonadii. Verbum est in epigrammate Aristonis [1], at postea vixit, ni fallor, Aristo.

Ex iis quae propria Minerva excogitavit Asclepiades, praecipue notanda sunt adjectiva nomina. Hoc enim verborum genus non aegre omnem in modum deflectebatur. Hanc libertatem arrogavit sibi quoque, et non semel justos fines transgressus est Meleager.

Quaedam significatione leviter immutata prodeunt. Ut uno exemplo utar, ἁρπεδόνη (V, 194) est « arcus chorda ».

Partim magistri exempla secutus est Posidippus, partim proprias sibi vias aperuit. Multa habet ex Homero, non quidem plura quam Asclepiades, at magis ut mihi videtur a communi usu abhorrentia [2]: ἀγχέμαχος, S, 2; ναύλοχος, AC. III, 80; πανδαμάτωρ, XVI, 275; παννύχιος, AC. III, 80. Ἀνακοιρανέω (AC. I, 116) [3], per errorem acceptum est, namque in Iliade legitur (V, 824):

Γινώσκω γὰρ Ἄρηα μάχην ἀνὰ κοιρανέοντα.

Quod ita intelligere oportet : κοιρανέοντα ἀνὰ μάχην.

Animadvertamus etiam (AC. III, 79) verbum κελαδέω

1. AP. VI, 303.

2. De substantivis notabo quoque: βρώμη, AC. III, 78; δάπεδον, XII, 131; hic planities, apud Homerum praesertim domus pavimentum; ἦμαρ, AC. III, 80; κάπετος, AC. V, 15; κισσύβιον, AC. III, 77; σπιλάς, AC. III, 80; a Weilio in loco prorsus difficili illatum est.

3. Locum variis conjecturis tentaverunt viri docti, quorum conamina apud Pregerum videbis. Sed jure editor ἀνακοιρανέουσιν servavit.

e quo participium defluxit. Habemus igitur: ποταμὸς κελαδῶν. Quod prorsus Homericum est, ut licet agnoscere versum Iliadis conferentibus (XVIII, 576):

Πὰρ ποταμὸν κελάδοντα...

Similiter ἐν περιφαινομένῳ κύματι (AC. III, 81), in memoriam revocat Odysseae locum (V, 476):

Ἐν περιφαινομένῳ...

Longis epithetis poeta delectabatur. Quaedam a tragicis surripuit ut ἀνεμώδης (AC. III, 81); quod invenies apud Sophoclem[1]. Sed majore cura Pindarum evolvit, ut ostendunt ἄπλατος (AC. III, 80; *Pyth.*, I, 21... sensu dissimili); ἱππόκροτος (XII, 131; *Pyth.*, V, 92); φιλάγλαος (XII, 77; *Pyth.*, XII, 1). Sappho (fr. 40) legavit γλυκύπικρος (V, 134), quod postea scriptoribus Anthologiae adeo placuit. Comicis haud multum debet Posidippus. Maluit consuetudinem hominum sequi, qui his ipsis temporibus vivebant. Asclepiadae comparatus plura Alexandrina vocabula ostendit, quippe qui junior fuerit atque ipsam incoluerit Alexandriam. Interdum congruit cum praeclaris scriptoribus qui tunc apud Ptolemaeos obversabantur. Φαληριάω (AC. III, 79) usurpatum est etiam a Lycophrone (188, 492).

Pariter notam temporis exhibent:

Ἄθριξ, AC. V, 15. De hoc verbo nil certum dicere possumus; quum enim implicati sint ductus litterarum, ignoramus quid scribere voluerit poeta. Ἄθριξ exstat in Matronis fragmento quod servavit Athenaeus[2].

Ἀκρόνυχος, S, 4. Pariter ab Aristotele in Problematis frequentatum fuit.

1. Cf. Ellendt, *Lexicon Sophocleum*.
2. De hoc vocabulo sequentibusque videas Stephani Thesaurum.

Εὐπώγων, AC. III, 79. De quo videas Leonidam Tarentinum, AP. IX, 99.

Ἦχος, VII, 267. Hoc vocabulo usus erat Demetrius Phalereus. At Moeris Atticista ἠχή potius esse declarat.

Λάγυνος (ἡ), V, 134. Verbum inerat in Aristotelis Thessalorum republica; id autem Atticos non recepisse Moeris testatur.

Ὀρθρινός, AC. III, 77. Reperitur apud Aratum, sed Phrynicho displicebat.

Πελιός, AC. V, 15. Quanquam a Demosthene admissum, damnatum fuit a Moeri.

Σελίς, AC. III, 77. Hujus vocis exemplum non video ante Posidippum, at certe, tertio saeculo, omnibus in usum erat.

Alia quae vel florentibus Athenis scriptores patiebantur, non indigna sunt memoratu, quum praesertim Alexandrinos delectaverint. Ex iis apponam βασίλισσα, AC. III, 81, τροχάζω; V, 183; βίβλος, XII, 98.

Jam de iis loquamur quae probabiliter emiserit Posidippus :

Διφθερίας, AC. V, 15[1]; ἐκλιπαίνω, AC. I, 116; ἐποτχνέω, XII, 131; εὐοπλέω, XII, 120; ἰοδόκη, XII, 145; μονολήκυθος, AC. V, 15[2]; παννυχικός, AC. V, 15; πολύδροσος, V, 134; σύγχρους, AC. III, 77[3]; φιλέραστος, XII, 168[4].

1. Hic legere velit Kaibelius τριχιδιφθερίας (cf. editionem Athenaei, X, 414, DE. In codice invenimus ὁ τριχιδιφθείρας). Nescio an hoc verbum servare liceat. Fortasse poeta dicere voluit : Phyromachus φθείρει τριχίδας, id est « sardas comedit ».

2. Non improprie de mortuo helluone ponitur. Qui enim tot ac tantas exhauriebat amphoras, nunc unam eamque minimam secum habet, lecythum quem veteres in sepulcris collocabant.

3. Σύγχρους non est in eo loco « concolor ». Nunquam enim poeta tam insulsum ridiculumque versum scripsisset. Sed apud Nicandrum eamdem vim habet verbum quam συγχρωτιζόμενος, quare optime hic indicat ardentem lascivumque Charaxi et Dorichae amplexum.

4. A Jacobsio e conjectura illatum.

Notandum est ex iis quae invenerit poeta plura non venusta esse, leporisque plena, sicut apud Asclepiaden. Horum nonnulla fabricata fuere ad irridendum Phyromachum. Quod semper acceptum fuit comoediae scriptoribus, ut Aristophanis exempla declarant.

Libenter Posidippus vocabulorum sensum commutat; in ejus epigrammatis δάιος (XVI, 119), non « timendus » est, at « callidus »; μόρος (VII, 267), non « fatum » sed « signum quod mortem in animum revocat »; πρόβολος (AC. III, 79), non « promontorium » sed « summa pars gemmae »; παρασύων (AC. V, 15) « parasitus qui ante alium ad epulas accedit ». Adde quod (AP. XVI, 119) Lysippus θαρσαλέη χείρ vocatur, et de meretrice (V, 213) dicit amasius εἰ μὲν ἔχει τινὰ... si quemdam in lectulum recepit.

Homerica verba adhibet Hedylus, sed non insolentia. Apponam tantum : ἀμβρόσιος, VI, 292; νήπιος vel νηπίαχος, AC. II, 134; τίω, AC. III, 67; δεῦτε *(ibid.)*. Θυόω non adhibetur in Iliade, excepto participio perfecti passivi (τεθυωμένος). Hedylus contra dixit θυωθέν (AC. I, 115). Μέλεος (AC. V, 16) apud Homerum significat μάταιος apud Hedylum ἀτυχής, qui mos est Aeschyli (Sept., 764). Κυδαίνω (AC. II, 134) conjectura est quam recipere nolim. Apud Homerum κυδαίνω idem est quod « laudare vel fortiorem majoremque efficere ». Apud Hedylum κυδαίνων αὐτοῦ τὰ γενέθλια, significaret : « celebrans illius natalitia. »

Quaedam sunt posthomerica, sed quae nihil peculiare habeant. Multo magis attendere oportet vocabulis quae Alexandri circiter temporibus vel serius in usum venerunt. Haec adeo grata sunt Hedylo ut quaedam habeat quae non ante reperiantur. Sed tamen non credo poetam haec invenisse, namque ob ipsam significationem publici fuisse juris videntur.

Βῆσσα, AC. III, 67. Nomen est poculi quod ab Athe-

naeo describitur: ...ποτήριον παρ' Ἀλεξανδρεῦσι, πλατύτερον ἐκ τῶν κάτω μερῶν, ἐστενωμένον ἄνωθεν [1]. Bes deus erat in Aegypto, ut notat Cougny. Hinc facile perspicimus cur vas nomen illud acceperit. Fingebatur enim in speciem Dei, parvulum immanique ventre.

Ἔυρεμα, AC. III, 67; pro εὕρημα. Ab Atticistis damnatum fuit. Cf. Leonidam Tarentinum, AP. VI, 4.

Ληρός, VI, 292, est aureum ornamentum quod mulierum vestes decorabat.

Μελιχρός, AC. IV, 26; cf. Callimachi epigramma 29.

Πάλι, AC. I, 115. Neglectum fuit ν paulatim a recentioribus. Callimachus semel tantum passus est πάλι, in epigrammate 12.

Ῥυτόν, AC. III, 67. In Demosthenis operibus (Mid. § 158) inerat. Cornu est accommodatum ad bibendum. Verbum translata significatione de organo usurpatum fuisse arbitrabatur Jacobsius, cui, ut solet, assentitur Dehèque. Errat uterque; namque organon opus est Ctesibii junioris. Hic autem de cornu agitur affabre facto, quod infusa aqua modulatos sonos edebat. Ex Athenaeo compertum habemus ῥυτόν quasi insigne Veneris Arsinoes fuisse. Quare vir callidus ad hanc effigiem mechanicum opus fecit, ut in novae deae templo poneretur [2].

Ὕελος, AC. I, 115. Vitiosa est verbi conformatio pro ὕαλος a recentioribus accepta. Invenitur tamen in Theophrasti atque vel Herodoti libris [3].

Jam ad vocabula transeamus quae inventa videntur fuisse ab Hedylo: ἀνόδευτος, S, 54; ζωροπότης, AC. III,

1. XI, 784, B. In editione Schweighauseri, t. IV, p. 224.
2. Cf. Athenaeum, XI, 497, B C.
3. Exempla invenies in lexico Papii.
4. De vocabulo ἔνδυμα, V, 199, nescio quid statuere oporteat. Vox inest in Veteris Testamenti libris, at difficile est dicere quo tempore hi libri in Graecam linguam translati fuerint.

67; ἥδυμα, AC. II, 134; ἡδυπότης, AC. II, 134; ἱεραγωγός, AC. III, 67; καλαμαυλητής, AC. II, 134; σκυλμός, V, 199; σύνθεμα, AC. III, 67; τετράχους, AC. IV, 25; ὑπένδυμα, VI, 292 [1]; φιλοζέφυρος, AC. III, 67; χρυσορόης, AC. V, 17.

Inaudita aut saltem insolenti quadam notione vocabuli ponuntur : ἐν ἀκρήτοις, AC. II, 134, in compotationibus, καλλιστεῖα, VI, 292, certamen inter formosas puellas institutum; κάλαμος, VI, 292, ornamentum muliebre; κλύζω, XI, 123 clysterium infundere; κρουνός, AC, III, 67, fistula; σύσσημον, AC. V, 16, tessera vel pignus; στιβαρός, AC, IV, 25, ingeniosus.

Sic apud Hedylum ad finem perducta est mutationum series, cujus initium apud Posidippum deprehendimus. Hunc sermonem verbis recentioribus perpetuo distinctum respuisset homo Athenis quinto vel quarto saeculo natus. Rara atque etiam duriuscula verba Hedylo placebant. Neque tamen eo devenit, ut multa poetici coloris effingeret. Magistros noster multo libentius in foro et popinis quam in Musaeo quaesivit. Suum igitur ingenium quisque servat in eligendis vocabulis. Levis est atque venustus Asclepiades, diligens attentusque Posidippus, acerbus denique atque etiam popularis Hedylus.

1. Apud Planudem ὑπέρδυμα, quod sensu caret. Ὑπένδυμα est quoque apud M. Argentarium, AP. VI, 201.

V

QUAESTIONES GRAMMATICAE

In declinatione nominum nihil est quod notare debeamus. Multum enim ad variandam orationem dialecti praebebant, easque copias satis habuit unusquisque nostrorum. Haec apud eos sola reperitur temporis nota quod nullus dualem numerum adhibet.

Asclepiades comparativi formas passus est non frequentatas ab Atticis scriptoribus πλειότερον et θηλυτέρη, XII, 17. Hedylus, si quidem ei tribuendum est epigramma, dixit ἐχθρότεραι, V, 161; ἐχθίων Atticis magis placet.

De verbis plura memoratu digna sunt [1]. En nonnulla quae ex epigrammatis Asclepiadae affero : ἀποπτάς (XII, 105) poeticum est; quanquam πέτομαι apud prosae scriptores invenitur; βεβολημένα (VII, 145) epicos praesertim juvat, quare optime facit in poematio de Ajace; ἐθήκατο (VI, 308) Atticis displicet; κωμάσομαι (V, 64) aegre patiuntur Graeci in soluta oratione; μεμελημένον (V, 153) a recentioribus praesertim admittitur; παίξομαι (XII, 46) postponendum est justo vocabulo παιξοῦμαι, quod e Xenophonte novimus; σιγήσω (V, 167) respuissent omnes antiqui auctores.

Apud Posidippum similia sunt. Animadvertes in aoristo παραθρέξαντα (XVI, 275); βαδίσας (V, 183); εἶπας

1. De his verbis cf. Veitchium, *Greek verbs irregular and defective*, Oxford, 1887.

(XII, 168) quae Athenienses neque semper, neque ubique admiserunt. Ὦσεν (XII, 131) poeticum colorem habet. Ἴπταμαι (XVI, 275) serius in usum venit; haud secus atque γλυφέν (AC. III, 79), quanquam est apud Platonem γέγλυμμαι. Μέλει (V, 134) apud justos prosae scriptores verbum est impersonale.

Pauciora sunt exempla apud Hedylum, quum pauciores quoque sint versus. Novitia vel insolentia quaedam offendunt, e quibus apponam διαπινομένη (AC. I, 115) et μεμεθυσμένα (AC. II, 134).

DE ARTICULO.

Semel articulo vim relativi pronominis dedit Asclepiades (V, 209):

Εὐχαὶ τὰς κείνης εὔξατ' ἐπ' ἠϊόνος.

Hunc saepe negligit, ut mos est poetarum. Sic legimus τῷδε τύμβῳ (VII, 145); δικλίσι ταῖσδε (V, 145), etc. Frequenter ingeniose adhibito articulo subtiliora quaedam indicantur quae nos in nostram linguam transferre nequimus: ἡ δολίη κείνη (V, 189), est perfida illa venustaque mulier quam omnes norunt. Τὸν φιλέοντα... praeclarus hic amasius quem quaeris (V, 85); τοὺς παῖδας pueros indicat quibuscum juvenis Connarus magistrum audit (VI, 308); τὸν ἱππαστῆρα μύωπα de calcari dicitur quod praesto est, et a meretrice Veneri offertur (V, 203).

Consentit cum magistro Posidippus. Scripsit enim τοῦ χάριν (id est οὗ ἕνεκα, AC. III, 80); atque τόνδε λίθον (AC. III, 79); et τοῦθ' ἱερόν (AC. III, 81). Articulus non inscite ponitur, ut e sequentibus apparet: ὁ σώφρων Ἀντίμαχος, doctus ille Antimachus (XII, 168), et τὸν τέττιγα

Μουσῶν, haec Musarum cicada quam omnes videre (XII, 98). Sed majorem audaciam sollertiamque his in rebus habuit, ut mihi videtur, Samius. Eum multo magis quam Posidippum imitatus est Meleager.

Apud Hedylum quaedam sunt quibus attendere oporteat : τήνδε προχόην, et τόδε Λέσβιον (VI, 292; AC. I, 115). Scripsit etiam ἡ διαπινομένη Καλλίστιον ἀνδράσι, illa notissima meretrix quae homines ad bibendum provocat (AC. I, 115).

DE EPITHETIS

Ingeniose participium hoc in versu usurpavit Asclepiades (XII, 135) :

... ὁ σφιγχθεὶς οὐκ ἔμενε στέφανος,

ubi σφιγχθείς rursus verbo ἔμενε applicare decet; ita ut talis sententia evadat : Adstrictaque corona adstricta non manebat. Pariter Posidippus (AC. I, 116) :

Τὸ πλατὺ λισσομένοις ἐκλιπανεῖ πέλαγος.

Id est : Compescet fluctus *ita ut* mare exaequetur. Eleganter quoque hic versus conformatus est (XII, 163) :

Ἐλέφαντ' ἐδένῳ, λευκῷ μέλαν...

Quod prorsus dignum est Asclepiada. Atque semel Hedylus Samii molle atque facetum assecutus est adjectivum nomen scite apponens (V, 199) :

Οἶνος καὶ προπόσεις κατεκοίμισαν Ἀγλαονίκην
Αἱ βόλιαι, καὶ ἔρως ἡδὺς ὁ Νικαγόρεω.

Jam ad casuum syntaxin transeamus.

DE GENITIVO.

Genitivus possessivus saepissime usurpatur, et in peculiaribus quibusdam conjunctionibus. Quarum bona pars est apud Asclepiaden:

Βέλος Κύπριδος πανδήμου (XII, 161); ἄνθεα πειθοῦς (XII, 163); κέντρον ποδός (V, 203); πόμα Βάκχου (XII, 50). Duo connectuntur in (V, 153) Κλεοφῶντος βλέμματος ἀστεροπαί. Quod primum non multum placet, sed acrius intuenti languidi nonnihil affert atque teneri. Difficilius (XII, 162):

... Φιλοκράτεος δὲ Διαύλου
Τραυλίζει ψυχῆς φίλτρα καὶ Ἀντιγένους.

Puto ψυχῆς et Φιλοκράτεος pariter ad φίλτρα referri. Vertere oportet: Philocratis et Antigeni amatoria pocula quae animos commovent; ψυχῆς fortasse habendum pro genitivo objecti.

Apud Posidippum invenio...: ἰκμὰς Βάκχου (V, 134); ἀνθρακιὴ Κύπριδος (V, 211); Μουσῶν τέττιξ (XII, 98); Συρίης δάπεδον (XII, 131); σελίδες ὠδῆς (AC. III, 77), non sine magna audacia significat. « Paginae in quibus hymni inscripti sunt. »

In Hedyli carminibus pauca sunt quibus attendamus. Attamen exquisite dictum fuit λάφυρα πόθων (V, 199). De spoliis agitur ereptis a Cupidinibus quos inflammavit puellae pulchritudo. Σῦλα πόθων (AC. I, 115) apponitur in simili epigrammate sensu admodum diverso, quum πόθων genitivus sit objecti. Utrum consulto Hedylus hanc verborum responsionem quaesiverit annon, asseverare nolim. Πρωτεὺς λοπάδων (AC. V, 17) dicitur de homine qui se in omnes formas convertit, ut accedat ad

pulas. Ληρῶν κάλαμοι (VI, 292) sunt ornata virgarum peciem exhibentia.

De genitivo originis nihil est quod notemus apud Asclepiaden et Posidippum. Quorum alter dixit Πυθιὰς ἡ Νικεῦς (V, 164); alter autem Σωστράτης Δεξιφάνους (AC. III, 80). Multo majoris animadversionis atque reprehensionis digna quae ausus est Hedylus. Ἀκρισίου λοπάς (AC. V, 17) patina est quae amore Phyromachum parasitum incendit, ut quondam Jovem Danae. Quare poeta declarat lancem quodammodo Acrisii filiam esse.

Genitivus objecti unicuique nostrorum placuit. Scripsit enim Asclepiades ἔρωτος ἐλεγχός (XII, 135); ὧν μάρτυς (V, 181) et φυγὰς κοίτης (V, 207). Apud Posidippum video θαῦμα μόχθου (AC. III, 79) et ἁλὸς ἐργάται (AC. III, 81); apud Hedylum μαρτύρια σκύλμῶν (V, 199) et σύνθημα πολέμου (AC. III, 67). Quid autem censemus legentes (V, 199) ἔρως ὁ Νικαγόρεω? Fortasse hic intelligere praestat: amor quem Aglaonice habuit in Nicagoram. Sed vocabula contrarium quoque sensum recipiunt. Credo scriptorem ea consulto diserte non expressisse, quo melius ostenderet virginem somno vinoque adhuc tantem.

Genitivus materiae est apud Hedylum (AC. V, 16) γρου λοπάς. Genitivum causae video in Posidippeis (AC. III, 168):

Ναννοῦς καὶ Λύδης ἐπίχει δύο...

Funde duo pocula in honorem Nannus et Lydes. » Genitivo dividuo Asclepiades usus est, atque dixit τὸ ψυχῆς (XII, 166). Posidippus genitivum pretii non t, sed annotavi apud Asclepiaden οἶνος πέντε (V, 181) et apud Hedylum δραχμῆς ἐστιν ὁ γόγγρος

(AC. V, 16). Non decet longam disputationem de genitivis loci, temporis, et exclamationis afferre. Nullum exemplum ministrat Hedylus. Sed apud Asclepiaden invenio αὐτοῦ (V, 145), θέρους (V, 169), ὦ μεγάλου κινάδους (V, 181); et apud Posidippum ὥρας πέμπτης (V, 183).

Cum adjectivis multae sunt genitivi conjunctiones praesertim in Asclepiadae et Posidippi versibus. Alter enim usurpat ἄμοιρος ἡδονῶν (XIII, 23); ἀλλότριος τέχνης (IX, 752) et γλυπτὸς λύγδου (V, 194); alter autem ἔκπνοος μύρων (AC. III, 77). Εὐλίμενος παντὸς κύματος (AC. III, 81) ex improviso occurrit ac paene displicet. Sensus est: portum aperiens iis qui omnes fluctus transgrediuntur.

Quod ad verba attinet, nonnulla cum genitivis connectuntur. Depromam ex Asclepiada : κρατέω (V, 64), φείδομαι (V, 85), βρίθομαι (V, 194), ψαύω (V, 209); e Posidippo : λήγω (V, 211), ἅπτομαι (AC. III, 77) et ἁμαρτάνω (AC, III, 80), sensu non communi, quum hic verbum significet destitutum esse. Apud Hedylum occurrit θιγγάνω (XI, 123).

Genitivi absoluti exempla videbis in epigrammatis V, 145 (Asclepiadae); V, 202 (Posidippi); AC. III, 67 (Hedyli).

DE DATIVO

Dativus cum verbis adjectivisque connectitur. Hanc vocabulorum conjunctionem patiuntur apud Asclepiaden :

Ἔρχομαι (V, 150; VII, 11); βοάω (V, 167); τίθημι (V, 203, pro ἀνατίθημι); ἀρνέομαι (XII, 135); εὔκρας (XII, 105); ἡδύς (V, 169), etc.; — apud Posidippum, ἔρχομαι (V, 183);

ἄγειν (V, 211); προσάγειν (XII, 120); ἐπέχειν (AC. III, 78); ἐκλιπαίνω (AC. I, 116); ἱκανός (V, 183); ἵλαος (XII, 131), etc.; — apud Hedylum, κεῖμαι (V, 199; AC. I, 115); εὑρίσκω (AC. III, 67); πάρειμι (S, 5); διαπίνομαι (AC. I, 115); cum dativo consociatur id verbum namque hic idem fere quod μάχομαι significat; ἱρός, (S, 5), etc.

Dixit Posidippus (XVI, 275) ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι, quod insoliti nonnihil habet. Occasionis statua interroganti duobus tantum verbis haec omnia declarat : « Caesariem habeo in vultum effusam, ut ii qui obviam veniunt hanc arripere possint. »

Apud Asclepiaden dativus instrumenti pendet e passivis πεισθείς (V, 64), βεβολημένος (VII, 145), θλίβομαι (XII, 153), etc.

De δακρύοις καταβρέχω (V, 145), et παίζειν ἀστραγάλοις (XII, 46), nihil est quod dicamus. Sed tria sunt quae peculiarem speciem habeant.

Τέχνα λέγειν (XIII, 23); scite loqui; φοιτᾶν τοῖς Κύπριδος νόμοις (V, 207); Veneris templum adire atque ejus legibus obtemperare; θορύβῳ παιδαρίων (VI, 308); Connarus tragicam personam dicat, plaudentibus pueris. Conjecturis non abstinuerunt viri docti, perperam ut videtur, nam dativum Asclepiades cum quadam libertate usurpat. Apud Posidippum notabo tantum κέλητι νικᾶν (V, 202). Hedylus non invenuste dixit πίνειν τετραχόοισι κάδοις (AC. IV, 25).

Dativus temporis et loci severis apud prosae scriptores legibus circumscribitur. Liberior poesis. Qua libertate non utitur Asclepiades. Audacius rem gerit Posidippus. Ποσσίν (XVI, 275) de Occasione dicitur, quae pedibus affixas alas habet. Nihil est quod disputemus de χείματι μέσσῳ (AC. I, 116); atque ἤματι (AC. III, 80).

DE ACCUSATIVO

Primum additur verbis activis, quorum haec apponam ex Asclepiadae carminibus : ἐπιδύνω (V, 189); ἀστράπτω (XII, 161); quod assumpsit Meleager (XII, 84) :

... ἀπαστράπτει κάλλος ἐραστὸν ἰδεῖν...

Addam τραυλίζω φίλτρα (XII, 162). Posidippus scripsit ῥρίσσω ἦχον (VII, 267) quanquam Homerus tantum habet ῥρίσσω τινά. Hedylum evolventes animadvertimus (AC. II, 134) :

Τὸν καλαμαυλητὴν εἴπατε· Χαῖρε, Θέων.

Quod in memoriam revocat κακὰ λέγειν τινά. Quare hic non habemus : « Salve dicite Theoni, » sed « Theonem salutatione haud indignum judicate ».

Addenda quaedam verba absolute posita ut αἶθε, V, 64 (Asclep.); βάλλετε, XII, 45 (Posidip.), et πρόσαγε, XII, 120 (Posidip.).

Figura etymologica, accusativus neutralis adjectivi verbo appositus, atque accusativus adverbii vicem praestans, arcta quadam necessitudine connectuntur, de quibus jam in alio libello [1] disserui. Haec sunt quae nunc afferre oporteat.

Asclepiad. : πίνω πόμα (XII, 50); κατηφὲς βλέπω (XII, 135); ἀζήλωτα φιλέομαι (XII, 105); κοῦφα τινάσσομαι (V, 203). Οἷα (V, 194) plane adverbium est.

Posidip. : Ῥαίνω ἰκμάδα (V, 134); λευκὰ φαληριόω (AC. III, 79); μαυρὰ βλέπω (AC. V, 15); ὁράω πῦρ (XVI, 119). Hoc est flammatis oculis adspici; quod insolenter

1. Cf. libellum meum de Meleagro, p. 142 sqq.

dicitur, sed similia apud poetas occurrunt. Adverbium est οἶα (AC. V, 15).

Hedyl.: σαλπίζω ἦχον (AC. III, 67) τοιαῦτα μεταπλάττομαι (AC. V, 17).

Accusativos, ut dicunt, graecos habet Asclepiades κειραμένα πλοκάμους (VII, 145); βεβολημένα θυμόν *(ibid.)*, etc. E Posidippo afferam (AC. III, 79):

Τὰς ἀτενιζούσας οὐκ ἐμόγησε κόρας.

Nil tale praebet Hedylus, notandumque est non ita saepe epigrammatum auctores hunc in modum sententiam disposuisse.

Accusativi loci temporisque non desunt, ut ex appositis exemplis apparebit: Asclep., VII, 284, ἄπεχε ἐκτὼ πήχεις; Posid., V, 186, ὅσον κέκλισαι χρόνον [1]; Hedyl., (S, 5), χεῦμα ἑδράμομεν.

Ὅσσον comparativis adjecit Asclepiades (XII, 17):

... ὅσσον δυνατώτερος ἄρσην
Θηλυτέρης, τόσσον χὠ πόθος ὀξύτερος.

Hedylus in deliciis habuit τυχόν quod bis usurpat sensu non admodum pari. Primo idem est quod temere (AC. IV, 25). Alterum locum ut vertam, libentius usurpem: fortasse (AC. V, 17).

Asclepiades dixit φεῦ τὸν τεκόντα (XIII, 23).

DE PRAEPOSITIONUM SYNTAXI

Asclepiades bis praepositionem verbumque disjungit:

... ἐν χθονὶ σεῖε νέφη (V, 64).

1. Memoratu dignior esset accusativus loci quem Cougny in epigrammate, AC. III, 77, videre sibi visus est: ἱκνέομαι τεναγῆ. Sed cum Pregero hic legere malo ἱκνέομαι ἐπὶ πελάγη.

Id est ἐνσείῃ χθονί. Rursusque (V, 189):

... μέσσον δ' ἐπὶ Πλειάδα δύνει.

Quod est ἐπιδύνει. Semel postponitur praepositio nomini in epigrammate non admodum certo (V, 209):

Χὼ μὲν ἐναυάγει γαίης ἔπι...

Aliquot sunt loci qui nonnihil insueti habeant. Verbi gratia conferam:

Asclep., Ἐν ἴσῳ, XII, 163. De duabus rebus quarum fulgor convenit. Libentius Atticista ἴσα poneret.

Ἐκ νέων, XIII, 23. De juvene. Varias conjecturas tentaverunt viri docti. Sed verba non mutanda sunt. Juvenum est quasi manus et caterva, cujus pars filius Botryis. Sic Aeschylus in Choephoris, 670, usurpavit Δαυλιεὺς ἐκ Φωκέων, et Polybius, III, 97, 1, οἱ ἐκ τῆς συγκλήτου.

Ἐξ ἀνθέων ποικίλον, V, 158. Planius accederet ἄνθεσι πεποικιλμένον. Sed consentiunt cum Asclepiada Aeschylus in Persis, 376, et Sophocles in Electra, 48[1].

Ἐξ ὑμέων, XII, 166. Communius παρ' ὑμέων.

Ἐκ μητρός, XII, 105. E gremio vel e domo genitricis.

Πρὸς μίαν θύραν ἡσυχάσας, V, 167. Duas res poeta simul indicat, currere amasium ad januam puellae atque hic requiescere. Ita Aeschylus (Choeph., 904):

Πρὸς αὐτὸν τόνδε σε σφάξαι θέλω.

Similia sunt apud Posidippum:

Εἰς τί, XVI, 275. Cur? Pariter locutus est Sophocles (Oed. Col., 524).

1. Hunc in modum fortasse dixit Asclepiades (V, 189):

...ἀνιηρὸν... ἐκ πυρὸς βέλος...

Sagitta quae fert flammas atque ideo saeva est. Sed conjecturis indulgent viri docti; cf. editionem Parisinam.

Ἐξ Ἀφροδίτης, V, 211. Id est quod παρ' Ἀφροδίτης.

Ἐκ κορυφῆς, AC. III, 80. Constructio praegnans. Ignis in summa turri accenditur, atque inde fulgentes radios emittit.

Ἐπί τινα, AC. III, 81. *Ad* aliquem, non *adversus*, quod communius.

Ἐπί, cum dativo, non ita semel idem est atque latine «super». Dixit tamen Posidippus: ἐπ' ἀκάνθαις (XII, 98) et ἐπὶ χθονί (AC. I, 116). In ἐπὶ χείλεσσι (AC. III, 79) praepositio potius eumdem sensum habet quem «juxta».

Ἐπ' ἄκρα βέβηκας (XVI, 275) defendi potest exemplis homericis, ut (Iliad. XIII, 281):

... ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἴζει.

Κατ' Ἀλεξάνδρου μορφᾶς χέες (XVI, 119) plus dubitationis movet. Κατά hoc in versu non diversum est latini vocabuli «secundum». Sensu non admodum simili, at non prorsus alieno, dixit Plato (Conviv., 193, C) κατ' ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν (de viris feminisque).

Κατ' αὐτοῦ (AC. III, 79) quando vertimus, scribere oportet: «in illo.» De curru agitur qui in medio lapide quasi excisus erat. In carmine anacreontico cantat poeta de patera locutus (AP. XI, 48):

Ποίει δέ μοι κατ' αὐτοῦ
Μηδ' ἄστρα, μηδ' ἁμάξας.

Hic Jacobsius duo exempla affert ex iisdem poematibus anacreonticis. Credo pariter intelligendum esse in Posidippi versibus (AC. III, 79):

Γλύμμα, κατὰ πλατέος δ' οὐκ ἂν ἴδοις προβόλου.

Ceterum κατά nonnunquam usurpatur de iis qui

vident, namque deorsum oculos vertunt. Sic Homerus in Iliade, III, 217 :

... κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας.

Παρ' ἔρωτα, XII, 77, connectitur cum verbo σταίης. Scriptor motum simul quietemque indicat. Hoc vel in soluta oratione admittitur.

Hedylus praepositionem nomini postponit (AC. III, 67)

... νηῷ τῷδε παρ' Ἀρσινόης.

Ἐξ materiam significat in Λέσβιον ἐξ ὑέλου (AC. I, 115). Pariter Herodotus (I, 194) ἐκ ξύλων ποιεῦνται τὰ πλοῖα. Notabis apud Hedylum verbum subaudiri (πεποιημένον).

Ὑπ' ἠρίον (AC. II, 134) quando scripsit, poeta accusativum adhibuit quia Theonis corpus sub tumulo porrectum erat.

DE IIS QUAE AD ENUNTIATIONES ATTINENT

Interdum vel πῶς vel ὡς nomini adjungitur quod in verbi locum subvenit : Posidip. XVI, 275 :

... ἀνδράσι δεῖγμα
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.

Posidip., AC. III, 79 :

... θαῦμα πέλει μόχθου μέγα, πῶς ὁ λιθουργός
Τὰς ἀτενιζούσας οὐκ ἐμόγησε κόρας.

Jam duriusculum est apud Asclepiaden, XII, 163 :

Εὗρεν ἔρως τί καλῷ μίξει καλόν...

Posuit quoque non sine audacia, V, 164 :

Νύξ, σὲ γὰρ... μαρτύρομαι οἷα μ' ὑβρίζει
Πυθιὰς

Liberius adhibitum εἰ in epigrammate de tumulo Ajacis, VII, 145 :

... ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα εἰ παρ' Ἀχαιοῖς
Ἃ δολόφρων Ἀπάτα κρέσσον ἐμεῦ δύναται.

In alio epigrammate in locum conjunctionis pronomen relativum subvenit, VII, 284 :

... βόα... ἡλίκα σοι δύναμις.

Orationis concinnitatem consulto turbavit poeta, V, 162 :

... εἰ δὲ τὸ τραῦμα
Μὴ σαφὲς, ἀλλ' ὁ πόνος δύεται εἰς ὄνυχα.

Hoc durum et subsiliens dicendi genus Hedylo quoque placuit, AC. III, 67 :

Οὐ πολέμου σύνθημα, διὰ χρυσέου δὲ γέγωνεν
Κώδωνος κώμου σύνθεμα καὶ θαλίης.

Relativum pronomen non ita saepe invenias in sententiis ejusmodi. AC. I, 115 :

Ἡ διαπινομένη Καλλίστιον ἀνδράσι.....
... τρεῖς χόας ἐξέπιεν.
Ἧς τόδε σοι κεῖται Λέσβιον ἐξ ὑέλου.

Insolenter dictum, at non sine venustate, AC. IV, 25 :

Ὥστε φίλει, καὶ γράφε, καὶ μεθύου.

DE CONJUNCTIONIBUS

Asclepiades scribit γάρ in exclamatione (V, 167). Notandum quoque, IX, 752 :

Ἀλλὰ Κλειοπάτρης ἱερὸν κτέαρ, ἐν γὰρ ἀνάσσης
Χειρὶ θεὸν νηφεῖν καὶ μεθύουσαν ἔδει.

Ea est sententiarum series: Ebrietas vocor atque in amethysto excisa sum. Hoc intelligi potest, quum sim Cleopatrae, *namque* in reginae manibus sobria est vel ipsa Ebrietas.

Δέ interdum postponitur, quae licentia omnibus poetis data est: Τὰ Φιλοκράτεος δὲ Διαύλου (XII, 162).

Apud Posidippum (XVI, 275), γάρ adhibet respondens Occasio.

Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με πᾶσιν.

Pariter, V, 186:

Οἶδα. Φιλεῖς γὰρ οὐδένα μεῖζον ἐμοῦ.

Γάρ hoc in loco fere idem est quod Latine «scilicet». Καί aliquoties redundat. Exempla ciere possumus

Ἡ καὶ θαῦμα πέλει μόχθου μέγα (AC. III, 79)

atque

Καὶ περὶ συνθεσίης ἔφαγον... (AC. III, 78)

in initio poematii [1].

Τε idem est quod apud Latinos que; V, 134; AC. III, 77, 80 et 81.

Hedylus, canere incipiens, ante omnia vocabulum καί profert. Hic est versus:

Ζωροπόται, καὶ τοῦτο... ἴδετε (AC. III, 67).

Sententiam hunc in modum vertere possumus: Multa sunt in templo mirabilia, nunc autem ex his omnibus unum praestat conspicere. Sicut Posidippus poeta particula τε usus est (VI, 292):

Αἱ μίτραι, τό θ' ἁλουργὲς ὑπένδυμα, τοί τε Λάκωνες
Πέπλοι...

1. Hoc sibi epigrammatum scriptores indulgebant ut eam conjunctionem sine justa causa ponerent. De quibus videas libellum meum de Meleagro, p. 191. Patet igitur carmen Posidippi mutilum non fuisse.

DE TEMPORIBUS ET MODIS

Asclepiades ingeniose iis copiis usus est, quas ei ministrabat Graecorum grammatica. De naufrago dixit ὤλεσεν, mortuus est, at λέλειπται ὄνομα, nomen inscriptum tumulo adhuc manet (VII, 500); notandum quoque (V, 169):

... ὁπόταν κρύψῃ μία τοὺς φιλέοντας
Χλαῖνα, καὶ αἰνῆται Κύπρις ὑπ' ἀμφοτέρων.

De zona meretricis legimus (V, 158) ἐγέγραπτο, id est litterae intextae fuerant, quas tunc licebat conspicere. In sequentibus magis haereo (XII, 161):

Σὺν πετάσῳ γυμνὸν μηρὸν ἔφαινε χλαμύς.

Asclepiades subito in memoriam revocat se nuper puellam vidisse. Ita verti posset sententia : Dorcion scit amasiis missile conjicere, Dorcion cujus chlamys femora *ostendebat*.

Posidippus imperfectum adhibet quum de Lysippo loquitur. Χαλκὸς ἓν κατ' Ἀλεξάνδρου μορφᾶς χέες (XVI, 119). Aes quod tu *fundebas*. Ita statuis variisque operibus adscriptum : excudebat, pingebat. De Occasione dicitur ἐπ' ἄκρα βέβηκας, pariterque de Phyromacho μαυρὰ βλέψας. In talibus verbis perfecto Graeci libentius utebantur. Ἔρχομαι (V, 213) pro futuro ἐλεύσομαι positum. « Pythias, ait amator, si quem habet, jam nunc abeo. »

Apud Hedylum invenio γεννᾶται (XI, 414) de podagra filia Bacchi et Aphroditae. Praesens hic pro aoristo usurpatur. Intelligere oportet : genita est. Hoc acceptum omnibus poetis, praesertim quando parentum

nomen adscribunt. Ἐξέπιεν (AC. I, 115) de muliere gulosa dixit Hedylus. Callistion quae cum viris bibendo contendebat, *semel* tres congios ebibit. Ob hoc praeclarum facinus Veneri vitreum vas dedicat.

Si editioni parisinae fidem habere possemus, Hedylus modum optativum in versu posuisset, ubi certe solutae orationis scriptor ἄν conjunctionem addidisset[1].

Ἑστήκω non inscite collocatur (AC. III, 78) in epigrammate Posidippi. Loquitur effigies parasiti Theugenis, dicitque : « Me decet hic remanere, statum servantem, et usque manum porrigentem. »

Infinitivo nostri usi sunt non sine audacia. Notare debemus apud Posidippum βορὸς φαγεῖν (AC. V, 15), et apud Hedylum αἱ ταχιναὶ τόξα φυγεῖν ἔλαφοι (S, 5).

Sic Asclepiades et ejus discipuli orationem habent et Graecam, et saepe laudandam, quum unusquisque ingeniose rem ministret, neque nimium severis prosae legibus adstringatur. Multa vero illi vitant quae sibi arrogavit Apollonius, Homeri vestigia premens : ut unum exemplum afferam non paucos invenies in Argonauticis genitivos atque accusativos loci. Quae omnia in epigrammatis displicerent, nam grandiora ac paene turgida viderentur. Neque parva laus nostris tribuenda est quum sciverint

Descriptas servare vices operumque colores.

1. AC. IV, 26 (Hedyl.) scribit Cougny : ...καὶ γάρ τι παρ' οἶνον εὕροιμεν... ἔπος, sed melius est εὕροιμ' ἄν.

VI

DE STILO

Praecipuam laudem obtinet versuum scriptor, si vividas in carminibus imagines referre possit. Hoc munere imprimis praeditus fuit Asclepiades. Non frustra illi ante oculos obversata sunt ionicarum insularum littora, caeruleique fluctus Aegaei maris [1]. Neque illi tantum placebant praeclara naturae spectacula. His enim temporibus vixit quibus gliscebat civium principumque luxuries; splendidis igitur apparatibus delectatur, nec despicit eboris ebenique nitorem, et fulgorem smaragdi auro inclusi [2]. Simul poetae mentem sollicitabant incisae gemmae, parvula haec magni laboris miracula, nec non lepida fictorum opuscula quae tunc per totum orbem circumferebantur [3]. In Samiorum tabernis Venerem conspicere licebat, Amoremque cum arcu et sagittis.

Quantam haec omnia ingenioso viro materiem praestabant! Quas Asclepiades opes non neglexit. Quae videt ita pingit ut ea nos quoque videre putemus, et deos, et homines, et meretrices et puellas: Cleophontem amat Nicarete : mediocris quidem scriptor ea narrans circa patulum orbem moratus esset... Duae res tantum

1. AP. V, 209.
2. AP. XII, 163.
3. Cf. praecipue, Pottier et Reinach, *La nécropole de Myrina*.

sunt quibus attendat animus Asclepiadae. Caerulei oculi Cleophontis in vestibulo stantis, ac pallens vultus Nicaretae qui in alta fenestra conspicitur [1]. Amare se negat Nicagoras. Sed redarguitur; quis enim dubitare posset? Plorat juvenis, et dormitat in convivio, deflectitur cervix, inque terram serta delabuntur [2]. Puella Dorcion admodum ephebo similis est : frontem petasus obumbrat scissaque tunica femur ostendit [3]. Alexandrinos poetas exquisitorum putidorumque consectatores istae vestium commutationes juvabant. Amorem petaso et chlamyde induit Meleager [4], atque ipse Justiniani aequalis Paulus Silentiarius [5] juvenem virginemque depingit quorum alter alterius vestimenta sibi assumit.

Majoribus quoque rebus mentem applicat Asclepiades. Intempestae noctis tenebras nobis, ut ita dicam, oculis obducit [6].

> Νὺξ μακρὴ καὶ χεῖμα, μέσον ὀ' ἐπὶ Πλειάδα δύνει,
> Κἀγὼ πὰρ προθύροις νίσσομαι ὑόμενος.

In istis describendis adeo praestitit poeta, ut illum Meleager imitari non ausus sit. Sed quum libenter de nocte serena loquatur Gadarenus, eum apparet magistri exemplis inscium fortasse ac nolentem commotum fuisse. Rursus apud Asclepiaden majestatis plena sunt [7]

> Νὺξ, σὲ γὰρ, οὐδ' ἄλλην μαρτύρομαι...

Summa cum relligione noctis nomen in initio versus

1. AP. V, 153.
2. AP. XII, 135.
3. AP. XII, 161.
4. AP. XII, 78.
5. AP. V, 255.
6. AP. V, 189.
7. AP. V, 164.

ponitur. Quod animadvertit Meleager suumque in usum transtulit, neque infeliciter dixit commutato verborum ordine [1] :

Ἐν τόδε παμμήτειρα θεῶν λίτομαί σε, φίλη Νύξ
Ναί λίτομαι, κώμων σύμπλανε, πότνια Νύξ.

Quando fictas res nobis ante oculos ponit Asclepiades, ars illi non minor est. Plane Samii ingenium mihi videtur redolere dubium epigramma de puella Eirenio, quae candida ex aureo domo progreditur, dum Cupidines undique volitant, purpureisque arcuum chordis in juvenes sagittas vibrant [2].

Hoc in poematio scitum inest translationis genus quod Graeci ἀλληγορίαν vocabant. Admodum his lusibus delectantur scriptores qui senescentibus jam litteris vivunt, atque materiem tractando argutiori aliquoties indulgent sedulitati : verbi gratia in Anthologia epigramma habemus ubi meretrix navigio comparatur : feminae corporis partes mali, velorum atque carinae speciem exhibent. Mire in spurcissimo hoc joco apparent scriptoris nisus contentioque [3]. Hoc vitium fugit Asclepiades. Si quando illi in mentem venit similitudo, nullis curis sollicitus, quae in animo habet describit; dummodo pulchra sint atque grata, nusquam nimio concinnitatis studio angitur. Legenda sunt praesertim carmina de juvene adhuc atque tenero Amore. E gremio matris in domum adolescentis avolat. Pusillus est neque arcum gerit, facilis praeda aucupatoribus. Quando apud Venerem remanet, litteras discit manu auream tabellam ferens [4].

1. AP. V, 165.
2. AP. V, 194.
3. AP. V, 204.
4. AP. XII, 162.

An sunt in Asclepiadae operibus eximiae comparationes et metaphorae? His praestare consentaneum esset poetam summa ingenii facultate praeditum. Nec semper laudibus indignus est. Valde placet [1]:

> Εἰ δὲ μέλαινα, τί τοῦτο; καὶ ἄνθρακες, ἀλλ' ὅτ' ἐκείνους
> Θάλψωμεν, λάμπουσ' ὡς ῥόδεαι κάλυκες.

Venustissima nobis obversatur haec imago flammei floris. Sed nulli amatorio scriptori contigit quosdam locos communes vitare qui nobis fastidium paene movent, quando Anthologiam graecam perlustramus. Perpetuo reperiuntur arcus, et sagittae, et ignes, et fulgura, et cineres. Amans cereus dissolvitur [2]. Puella flos est, vel novus surculus. Non sine lepore Πειθοῦς ἄνθεα καὶ Φιλίης, vel ἄνθος ἥβης ἀποδρέπειν, vel: οὔ σε μόνον ἐλήϊσατο Κύπρις [3]. At majora pluraque ab Asclepiada postulamus.

Ut varios rerum adspectus, motus animi reddit poeta [4]:

> Νῖφε, χαλαζοβόλει, ποίει σκότος, αἶθε, κεραύνου,
> Πάντα τὰ πορφύροντ' ἐν χθονὶ σεῖε νέφη.
> Ἦν γάρ με κτείνῃς, τότε παύσομαι, ἢν δέ μ' ἄφῃς ζῆν
> Διαθεὶς καὶ τούτων χείρονα, κωμάσομαι.
> Ἕλκει γάρ μ' ὁ κρατῶν καὶ σοῦ θεὸς, ᾧ ποτε πεισθείς,
> Ζεῦ, διὰ χαλκείων χρυσὸς ἔδυς θαλάμων.

Bellatorius stilus est, atque velut pugnantis clamor sonat post tot tantaque verba κωμάσομαι; neque ironia abstinet fervidus amans, atque Jovi in memoriam revocat quae quondam fecerit ut Danaen adiret. Summa vis est vocabuli χρυσός. Non pari sensu dictum esset: εἰς χρυσὸν μεταπλασθείς. Ita ille deorum pater atque dominus nil

1. AP. V, 210.
2. *Ibid.*
3. AP. XII, 163; VII, 217; XII, 50.
4. AP. V, 64.

aliud est ac massa metalli per turris rimas delapsa. Nec minoris pretii [1] :

Ὑετὸς ἦν, καὶ νὺξ, καὶ τὸ τρίτον ἄλγος ἐρῶντι
Οἶνος, καὶ Βορέης ψυχρὸς, ἐγὼ δὲ μόνος.

Poeta friget ac tremit; omnia in eum intenduntur. Οἶνος ἦν non communis est verborum junctura, sed eo magis delectat. Καὶ Βορέης... non in loco suo ponitur, sed quum inexspectatum occurrat, multo acrius animos auditoris percellit. Ac denique, quando legimus, ἐγὼ δὲ μόνος, subito pluvia, et nox, et vinum, et venti quasi hostes infensi apparent.

Epigramma in puellam quae amorem despicit, et leve est, et breve, et fastidiosum [2] :

Φείδῃ παρθενίης, καὶ τί πλέον; οὐ γὰρ εἰς Ἅιδην
Ἐλθοῦσ' εὑρήσεις τὸν φιλεόντα, κόρη.

Consulto subrustica verba adhibentur; τί πλέον, φείδομαι, quod proprie usurpatur de pecunia ad utendum seposita. Neque perurbanum illud est: « Apud inferos amasium quaerere propositum habes. »

Sed multo major est impetus in carmine [3] ubi describuntur epularum apparatus. Dialogus est, et quanquam unus tantum loquitur, varias personas vidimus, et serva Phryne adest, et servulus Cario. Quid sentiat, quid dicat unusquisque non ignoramus, sed quam vivide exprimitur ipse Asclepiades. Stomachatur res emptas perlustrans. Exclamat:

Πέντ' οἶνος δραχμῶν!

1. AP. V, 167. Hoc epigramma persaepe a viris doctis tractatum est. Inconcinnum est, fateor, sed placet. Ingeniosas inutilesque conjecturas videbis apud Dubnerum.
2. AP. V, 85.
3. AP. V, 181.

Quam lepide! Sales elocutioni afferunt et grammatica et versus conformatio [1]. At mox iram excipit taedium. Plura sunt quam ut uno die recenseri possint. Rationes abjicit poeta :

Αὔριον αὐτὰ καλῶς λογισόμεθα...

Currit sententia, gaudet Asclepiades excussis molestiis, atque jam compotationis lasciviam praenuntians, in unguentariam Αἴσχραν subobscoenum jocum addit.

In titulo naufragi [2], vir vel exstinctus fluctus usque provocat et reformidat. Non mediocrem leporem epigramma e προσωποποιΐα sumit. Quae semper Asclepiaden juvat, hominem acerrimum et natura vehementem. Nonnullas mortuorum fictas orationes in Samii poematis videbis [3]. Sic filius Melesagorae hospitem precatur ut patri nuntium tristem ferat. Pariter ostenditur [4] magna Virtutis imago in tumulo Ajacis plorantis. Quae dicit viro tali non indigna sunt. Non enim quia heros perierit dea luget, sed quia devicta fuerit a Dolo.

Libenter in Graecorum titulis verba faciebant umbrae mortuorum quia divinis honoribus praeditae vitam sub terra obscuram degere putabantur. Audacius Asclepiades dicendi potestatem vel personae comicae, vel Antimachi libro dedit [5]. At ea quoque cum Graecorum consuetudine conveniebant. Namque prius epigramma inscribebatur donariis vel statuis, atque carmen ipsius rei quasi vox erat.

His de causis frequenter adhibet Asclepiades orationis figuras, quae tumultus animi effingunt; interrogatio-

1. De hoc versu cf. *infra*, p. 93.
2. AP. VII, 284.
3. AP. VII, 500.
4. AP. VII, 145.
5. AP. VI, 308; IX, 63.

nem, exclamationem atque vel jusjurandum. Archeanassae pulchritudinem dum celebrat, subito orationem abrumpit [1] :

Ἆ νέον ἥβης ἄνθος ἀποδρέψαντες ἐρασταί
Πρωτοβόλου, δί' ὅσης ἤλθετε πυρκαϊῆς.

Saepe quae inutilia arbitratur negligit. Ellipsis et asyndeton tam saepe adhibet ut exempla recensere taedium sit. Apponam tantum [2] :

Πῖν' Ἀσκληπιάδη, τί τὰ δάκρυα ταῦτα; τί πάσχεις
Οὐ σὲ μόνον χαλεπὴ Κύπρις ἐληίσατο.

Interdum conduplicantur verba, quum omnia fervido poetae debilia videantur, atque sine nervis [3].

Οἴχομαι, ...ἀπόλωλα, διοίχομαι...

Quod Meleager quoque ad fastidium adhibuit, quum, ut solet, magistrum secutus, usque in vitium ductus sit.

Orationis ornamenta perraro quaesivit Asclepiades. At quaesivit interdum. Adjectiva non semel soni tantum atque fulgoris causa apponuntur. Quae praesertim occurrunt in lascivo poemate ad irridendam epici carminis majestatem conscripto [4]. Ἱππαστὴρ μύωψ exempla homerica in mentem revocat. Redundant quoque vocabula in :

Χρύσεον εὐκνήμου κέντρον ἔθηκε ποδός.

Oxymoron est :

... ἀλλ' ἀνιήσας
Πολλάκις ἡδίον γίνετ' ἐρῶσι θεός [5].

1. AP. VII, 217.
2. AP. XII, 50.
3. AP. V, 162.
4. AP. V, 203.
5. AP. XII, 153.

Quod facile ferre possumus, quia sententia et vera est et politissima. Temporis notam magis praebent [1] :

... ἄνθρακας ὠνὴρ
Ξηροὺς ἐκ νοτερῆς παιδὸς ἐπεσπάσατο.

Malim fere hoc ridiculum, spurcum fateor, sed non sine acumine [2]. « Dic unguentariae...

... Βακχών' ὅτι πέντ' ἐφίλησεν
Ἐξῆς, ὧν κλίνη μάρτυς ἐπεγράφετο. »

Memorandum est juris Attici peritos saepe « μάρτυρας ἐπιγράφειν » usurpare.

Quaedam Asclepiades habet nimis arcessita, adeo ut vel sedulus lector in interpretando haereat. Quid proprie significat τραυλίζειν φίλτρα Ἀντιγένους? Ἢ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν haud minoribus difficultatibus implicatum est [3]. Haec verba de nocte accipit Dubnerus, de aurora Ungerus, conjectura non abstinet Heckerus. Ambigentibus etiam nunc viris doctis, ad ipsum poetam culpam referre oportet.

Asclepiaden interdum in vitium induxit adstrictum nimis scribendi genus. In epigrammate legimus [4] :

Εἰ πτερά σοι προσέκειτο, καὶ ἐν χερὶ τόξα καὶ ἰοί
Οὐκ ἂν Ἔρως ἐγράφη Κύπριδος, ἀλλά συ, παῖς.

Quod ita verterem : «.... Non Amor Veneris filius diceretur, tu vero tali nomine dignus esses. » Delectant tamen ea quanquam nimis brevia sunt, solertisque artificis manum declarant.

In summa simplex et ingeniosus Asclepiades neque

1. AP. V, 194.
2. AP. V, 181.
3. AP. XII, 162, 50.
4. AP. XII, 75.

indignus qui discipulum habeat Theocritum. Haec poemata exquisitissimis caelatorum operibus comparare liceret, nisi tantus inesset Samio impetus et calor. In Posidippo ea praesertim laudanda apparent, quae cum Asclepiada communia habet.

Hic etiam in imaginibus vividus est. Omnia fidelibus oculis spectat et memoria servat tenaci. Vel in ipso compotationis aestu, animadvertit Atheniensem lagenam [1], et pocula ex hederae ligno facta, et meretricis ἀμπεχόνην et capillorum ἀποδέσμους. Non obliviscitur vado cui nomen Ταύρου κέρας inditum erat nautas ad Alexandriae portum accedere [2]. Quidam sunt poetae, neque ingenio destituti, qui perpetuo splendidas nubes captent. Ab iis plane differt Posidippus. En Phyromachi eidolon. Quanquam mortuus est, vivit adhuc, torvo supercilio, sine capillis et pelle indutus [3]. Sed gratiora adhibeamus [4] : Arsinoe Zephyritis

Τὸ πλατὺ λισσομένοις ἐκλιπανεῖ πέλαγος.

Optime dictum. Hoc enim vocabulo quod simul « quietum » et « pingue » significat, placatum nitensque mare perspicue effingitur. Templum quod in aquas procurrit [5]...

Ἐν περιφατνομένῳ κύματι χῶρον (ἔχει).

Nonne altam candidamque Phari turrim cernimus, hunc versum legentes [6].

... εὐθείάν τε καὶ ὄρθιον αἰθέρα τέμνων.

1. AP. V, 134.
2. AC. III, 77, 80.
3. AC. V, 15.
4. AC. I, 116.
5. AC. III, 81.
6. AC. III, 80.

Longusque virginum ordo composito gradu procedentium perspicue his verbis ostenditur [1] :

Ἑλλήνων ἁγναὶ βαίνετε θυγατέρες.

At haec omnia breviora sunt. Jam vidimus exilius esse Posidippi ingenium. Quod multo magis apparet, si ad translationes accedimus. Certe non despicienda sunt. Cycnus est Zeno ob canitiem et eloquentiam. Poeta vocatur cicada Musarum [2]. Profuit Posidippo philosophiam studuisse et Platonis Phaedrum perlegisse. Non invenusta ἀλληγορία inducitur Amor Ψυχὴν ardentibus taedis imponens, quod nobis in memoriam reducit opera caelatorum. Sed jam hoc exemplo patet tritas translationes poetae non displicuisse. Neque amorum sagittas, neque arcus, neque flammas fastidit. Nunc communia patitur, nunc autem nimis elaborata quaerit. Fateor mihi gratum esse [3]:

Ὠδῆς αἱ λευκαὶ φθεγγόμεναι σελίδες.

« Hymnorum albae cantantesque paginae, » atque [4]

Οἵ θ' ἁλὸς ἐργάται ἄνδρες.

« Homines qui campos maris moliuntur. » Sed prave dictum ἐγείρειν εἰς ἀνθρακιήν [5], excitare e somno atque in flammas conjicere. Nesciunt quomodo vertere oporteat μεγάλης δεσπόται ἰοδόκης [6]. Fortasse poeta sic locutus est : « Si omnia in me tela conjicietis, vobis, Cupidines, ero magna pharetra. » Hoc admodum lepore, ac paene sensu

1. AC. III, 81.
2. AP. V, 134; XII, 98.
3. AC. III, 77.
4. AC. III, 81.
5. AP. V, 211.
6. AP. XII, 45.

caret. Et quando poeta cum Amore signa confert, parum convenienter dicit [1] :

Τὸν παραταξάμενον πρός σε λογισμὸν ἔχω.

Haec instructae aciei imago tantum rebus magni momenti, atque ponderis apta esset.

In effingendis animi motibus Asclepiaden pone sequitur Posidippus. Suaves sunt versus amantis qui ad meretricis domum trepidus accedit, et se per noctem furesque venisse dicit, Cupidine ductus, turpemque repulsam passurus, si velit dulcis acerbaque puella [2]. Non semper friget Zenonis Cleanthisque discipulus. Interrogat, clamat, jurejurando utitur, verba inutilia omittit, adhibet asyndeton. Nunc durum Amoris dominium abjicit, nunc furore instinctus, omnibus se telis sagittariorum proponit [3]

Ναὶ ναὶ βάλλετ' Ἔρωτες, ἐγὼ σκοπὸς εἷς ἅμα πολλοῖς.

Quoddam simile est apud Asclepiaden, sed non ita lepidum. Quam pulchrum quoque initium hujus epigrammatis, quod in fine minus placet [4] :

Εὐοπλῶ, καὶ πρός σε μαχήσομαι, οὐδ' ἀπεροῦμαι
Θνητὸς ἐών.

Optime iram significat Posidippus. Sed interdum tenerioribus affectibus indulget. Cum summa urbanitate, vel Venus, vel ipsa in epulis amphora invocatur [5].

Κεκροπὶ ῥαῖνε λάγυνε πολύδροσον ἱκμάδα Βάκχου.

1. AP. XII, 120.
2. AP. V, 213.
3. AP. XII, 45.
4. AP. XII, 120.
5. AP. V, 134.

Neque minus suavis illa precatio quae tantam jucunditatem e scita verborum collocatione accipit [1].

Ἄ Κύπρον, ἃ τε Κύθηρα, καὶ ἃ Μίλητον ἐποιχνεῖς
Καὶ καλὸν Συρίης ἱπποχρότου δάπεδον
Ἔλθοις ἵλαος Καλλιστίῳ...

Non satis habuit alios interrogare vel ciere Posidippus. Responsiones interdum adjungit. Jam novimus colloquium Occasionis hominisque qui statuam intuetur [2]. Quod non sine oblectatione legimus; Occasionis enim sermo et acris et pressus est, admodumque properanti convenit. Et in brevibus loquentium sententiis, tanta varietas inest, ut nullum nobis fiat e similitudine fastidium. At, mirum, hic dialogus non scaenatilem in modum conformatus est pariter atque epigrammata Asclepiadae ubi una tantum persona inducitur. Non multum festivitatis habent ejusmodi colloquia quae in Anthologia Graeca reperimus. Componebantur enim de mortuis statuisve quas interdum frigidas fuisse personas nemo mirabitur [3]. Sed addendum est Asclepiadae ac Posidippo non parem suavitatem Musas annuisse. Quando in effingendis animi motibus cum magistro certare voluit discipulus, plerumque superatus discedit.

Si titulos naufragorum inspicimus, apparet apud Samium multo magis fervescere miseri hominis affectus. Plura sunt apud Posidippum et splendidiora vocabula, sed parum inde oblectamenti percipimus [4]; namque poetae multo minus cordi fuit sors mortui quam sententiae concinnitas.

Et quum Posidippus ad emendas amphoras servum

1. AP. XII, 131.
2. AP. XVI, 275.
3. Cf. praesertim, VII, 470, quod est Meleagri.
4. AP. VII, 267; cf. VII, 284.

mittit, Asclepiaden discipulumque conferre decet, quorum hic in fine poematis ponit [1]

Ὥρας γὰρ πέμπτης πάντες ἀθροιζόμεθα.

Hoc non sine salibus est, namque mos erat multo serius ad epulas accedere. Sed gratius petulantiusque Asclepiades in carmine admodum simili [2].

Καὶ Τρυφέραν ταχέως ἐν παρόδῳ κάλεσον.

Festivus poeta post congros gibbosasque squillas scortum memorat. Quae optime vidit Flaccus gnarus poeseos judex, quum dixit (Carm. II, XI):

Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna, dic age, cum lyra
Maturet... etc.

Non ita lepidus est Posidippus, quapropter aliquoties jejunos versus patitur et ad prosam orationem accedentes. Insulsum est fere totum de pretioso lapide epigramma [3]:

Ἦ καὶ θαῦμα πέλει μόχθου μέγα πῶς ὁ λιθουργός
Τὰς ἀτενιζούσας οὐκ ἐμόγησε κόρας.

Nec illud acutius [4]:

Οὐ γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ σκεπαὶ οὔρεά θ' οἷ' ἐπὶ νήσων
Ἀλλὰ χαμαὶ χηλὴ ναύλοχος ἐκτέταται.

Plane ut ejus modi culpae fugerentur, Flaccus de scito carminum scriptore dixit: « Quae

Desperat tractata nitescere posse relinquit. »

1. AP. V, 183.
2. AP. V, 185.
3. AC. III, 79.
4. AC. III, 80.

Sed plerumque materiam tractat Posidippus, ut niteat, neque ornamenta fastidit. Epitheta consectatur. Notanda sunt imprimis [1] :

Τῆσδε πολυρρήνου Λιβύης ἀνημώδεα χηλήν

atque [2]

Λύσιππε, πλάστα Σικυώνιε, θαρσαλέη χεὶρ
Δάιε τεχνίτα, πῦρ τοι ὁ χαλκὸς ὁρῇ.

Hic antithesis inest, atque simul oxymoron. Verborum circuitum adhibens, poeta non « vinum » scribit, sed πολύδροσος ἰκμὰς Βάκχου [3]. Matutina vocantur pocula quod ea Charaxus atque Doricha mane exhauriunt [4]. Miser est Nicetæ tumulus quia miserum hominem abscondit [5]. Proverbia adhibentur, ut εἶα κορώνην. Quod est : vorax ut cornix quae omnia incaute arripit [6]. Interdum quoque Posidippus ambiguam verbis alligat significationem. Etenim de parasito legimus [7] :

... ἐκ γὰρ ἀγώνων
Τῶν τότε Ληναικῶν ἦλθ' ὑπὸ Καλλιόπην.

Lenaei ludi compotationes sunt, namque Bacchus et Ληναῖος audit. Calliope tecte καλὴν ὀπήν indicat, id est sepulcrum.

Illud elaboratum, atque vel contortum dicendi genus nonnunquam legentibus tenebras offundit. Obscurum est epigramma de lapide currus speciem referente. Neque primo adspectu possis intelligere [8].

Τοῦθ' ὑπὸ λυγκείου βλέμματος ἐγλύφετο
Ψεύδεϊ χειρὸς ὅμοιον.

1. AC. III, 81.
2. AP. XVI, 119.
3. AP. V, 134.
4. AC. III, 77.
5. AP. VII, 267.
6. AC. V, 15.
7. AC. V, 15.
8. AC. III, 79.

Quod ita intellexerim : « Imaginem credis manu caelatam fuisse. At erras. Hic est naturae lusus. Lynx, ut ita dicam, hoc scalpsit miranda vi oculorum. »

Si discipulum novit Asclepiades haec omnia non probavit. Ambitiosa quoque ornamenta rescindere voluisset, inutilemque hic illic verborum farraginem compescere. Quanquam multis laudibus dignus est Posidippus, illi defuit hoc nescio quid leve atque elegans, quod Samio tam impense natura tribuerat.

Huic vituperationi multo magis obnoxius Hedylus est. Attamen peritus est unamquamque rem acute intueri atque verbis reddere. Ex ejus epigrammatis noscere possumus qui fuerit apparatus meretricum. Nil obliviscitur, neque inaures, neque soleas, neque μίτρας quae pectus adstringunt, neque purpureum ὑπένδυμα, neque aurata *leria* quibus vestimenta decorantur [1]. Scit quae in epulis apponantur, et γόγγρος et καλλίχθυς [2] et squillae et tomacula. Vidit Alexandriae fabricatores sandapilarum [3], quos haud inficeto joco pravum medicum coronis et petasis obruere fingit.

His juvamur, sed interdum e culina vel triclinio exire vellemus, atque gratiora spectare. Sed poeta nullo modo quae venusta sunt consectatur, neque deformia fastidit. Iis inservit atque adhaeret quae tunc Alexandriae videre licebat.

Haec est quaedam debilitas ingenii, neque mirari possumus Hedylum in metaphoris atque comparationibus non multum valuisse. Placet quod dixit de Arsinoes *rhyto,* patrem Nilum ipsis undis ad juvandos pios homines cantare [4]. Sed mire contortum mihi

1. AC. V, 16; AP. VI, 292.
2. AC. V, 17, 18.
3. AP. XI, 123.
4. AC. III, 67.

videtur quod antecedit : saltatrix patera ad effigiem dei Bes conformata est. Non inconditum [1] est de puella dicere : ἀμβρόσιόν τι θάλος ἐστίν. At ea jam Asclepiades occupaverat. Mallem quod clamant convivae esurientem meretricem adspicientes [2] :

... λιθούμεθα πάντες... λοπάδι.

Manifesta est veritatis superlatio trajectioque, sed hoc vehementi poetae concedere oportet.

Rarissime Hedylus teneros animi affectus reddidit. Semel tantum submisit orationem, ut puellam effingeret Veneri gratias agentem ob amorem Nicagorae. Hoc in carmine omnia plena sunt voluptatis leporisque. Praesertim animadvertamus duplicata verba quae solutum quiddam habent [3]

Οἶνος καὶ προπόσεις κατεκοίμισαν Ἀγλαονίκην...
Ὕπνου καὶ σκωλμῶν τῶν τότε μαρτύρια.

Sed hoc epigramma Asclepiadae imitationem declarat. Quando ingenio indulget Hedylus per ludibrium atque ironiam loquitur. Quam vividum hoc [4]

Ἑφθὸς ὁ καλλίχθυς, νῦν ἔμβαλε τὴν βαλανάγραν.

Atque interrupto sermone

...ἀλλ' ἀπόκλειε.

Quasi jam accedat ad fores Agis parasitus immani ventre atque stomacho inexplebili. Neque hic distichus minoris pretii [5]

Ὀψοφαγεῖ Κλειοῖ, καταμύομεν, ἢν δὲ θελήσῃς
Ἔσθε μόνη, δραχμῆς ἐστιν ὁ γόγγρος ἅπας.

1. AP. VI, 292.
2. AC. V, 16.
3. AP. V, 199.
4. AC. V, 17.
5. AC. V, 16.

Si quando poeta non vehementibus, ut ita dicam, animi motibus impellitur, friget oratio, carmenque languescit. Plane inficetum est elogium Theonis tibicinis. Admodum venustate carent versus qualis ille [1]

Ἢ τὸν ἐν ἀκρήτοις Βάτταλον ἡδυπότην.

Ipse vidit Hedylus multa sibi ad delectandum deesse, nitoremque epigrammatis afferre conatus est. Ideo rara arcessitaque vocabula quaesivit, de quibus jam supra disputavi [2]. Sed nihil ei fuit gratius quam verborum sensum detorquere. Jam vitium gliscens vidimus in Posidippi poematis, nunc autem fere ubique similes lusus nobis occurrunt. Eupalamum nomen habebat Theo, unde conjicere licebat hominem manuum virtute praeditum fore. Juvenes (νέοι) ad templum (νηόν) Arsinoes procedunt [3]. Convivas terret Clio, non Γόργους capite, sed γόγγρου patina. Patinarum Proteum vidimus, patinamque filiam Acrisii 4. Φαίδων laudat φυκίδια et, quum cithara cantet, χορδάς amat, quod pariter fides atque tomacula significat [5]. Nescio an vere Hedyli sint hi versus, at nequaquam ab ejus ingenio abhorrent [6]:

Λυσιμελοῦς Βάκχου, καὶ Λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης
Γεννᾶται θυγάτηρ Λυσιμελὴς Ποδάγρα.

Jamque manifestum est, quantum discrepent Asclepiades atque Hedylus. Ille alatus per omnia volitat, hic autem solum premit, atque ornamentis onustus ideo humilior est. Medium tenet Posidippus inter

1. AC. II, 134.
2. Cf. cap. IV.
3. AC. II, 134; III, 67.
4. AC. V, 16, 17.
5. AC. V, 18.
6. AP. XI, 414.

homines ingenio plane dissimili, et quasi juncturam efficit. Ceterum tres illi scriptores nonnulla communia habent. Imagines quaerunt accurate ad rerum similitudinem expressas, genusque dicendi colunt acre colorisque plenum; non semper obedientes discipulos, sed discipulos tamen habuit Asclepiades.

VII

DE PROSODIA

Severioribus prosodiae legibus se poetae graeci se non adstringebant, et quaedam interdum licentia grata videbatur. Quum enim non semper eadem consuetudo mansisset, atque haec epicis veteribus, illa autem magis Atticis placuissent, dissimillima certis gravibusque auctoribus inniti poterant. Ideo non mirandum est quaedam apud nostros inveniri quae notatu digna sint. Ab Asclepiada initium faciamus :

Ἀΐδα, VII, 11, et τἀΐδα, V, 162, tribrachyos formam exhibent. Prima autem syllaba in variis scriptoribus producitur. Cf. Callimachi Epigrammata, XII, 1.

Ἀνία, ἀνιάω et ἀνιηρός varias mensuras habent. Vocalis ι nunc longa, XII, 166, et V, 189, nunc brevis est, XII, 153. De his verbis nunquam poetae Graeci consenserunt [1].

Ἀλύω. Paenultima brevis est, V, 167. Quae fuit Homeri consuetudo. Syllabam Attici producunt. Ambigunt epici recentiores.

Δύομαι, V, 162, primam producit, qui est usus Atticorum, apud Homerum anapaesti formam vocabulum exhibet.

1. Quae hoc in capite afferam auctoris nomen non addens, ea desumpta sunt e lexicis Veitchii; cf. supra, p. 53, et Brassii, *Gradus ad Parnassum graecus*, Gottingae, 1839.

Ἡδίων, V, 169, ι longum habet. In ejusmodi comparativis vocalis plerumque producitur apud Atticos, corripitur apud Homerum.

Ἱερός, V, 194, tribrachys est, at epici producunt ι in arsi.

Ἰσχύω, V, 167, corripit paenultimam. Quod rarum est, sed occurrit interdum in Pindari atque recentiorum poetarum operibus.

Καλός, V, 207; VI, 308; XII, 163, primam semper brevem habet. Quae longa est apud Homerum et reliquos epicos.

Καρῖδες, V, 185, paenultimam producit. Apud Aristophanem in Vespis duo priores syllabae trochaeum efficiunt.

Ποιέω, diphtongum nunc longam nunc brevem habet. Legimus enim:
AP. XII, 46:

... τί ποιήσετε

atque AP. V, 164:

... χαλαζοβόλει, ποίει σκότος...

Simillima profert Posidippus:

Ἀεί, V, 211; XII, 275, primam corripit. Interdum apud Graecos ἀεί spondaeus est.

Ἀνιηρός, XII, 98, antepaenultimam producit. De quo videas supra.

Ἱερός. Primam nunc longam (AC. I, 116) nunc vero brevem habet (AC. III, 81).

Ἴλαος, XII, 131. Paenultimam producit. De mensura Graeci non consentiunt.

Θυγατέρες, AC. III, 81. In eo verbo prima semper correpta fuit, nisi ubi versus heroïcus longam postulabat. Hanc libertatem sibi assumpsit Posidippus,

Καλός, XII, 131, trochaeus est.

Ὀρθρινός, AC. III, 77, paenultimam productam habet. Contra Meleager. AP. XII, 47 :

... ὀρθρινὰ παίζων.

Οἰκτίρω, VII, 267, creticus est. Οἰκτίρω pro οἰκτείρω ponitur, ut ὀκνίσας pro ὀκνείσας.

Πίομαι, XII, 168, fit anapaestus. Saepe poetae primam syllabam producunt. De quibus videre licet Veitchium, *Greek verbs irregular and defective*.

Χρίω, AC. V, 15, spondaeum efficit. Quod probandum est. Per neglegentiam Nossis, AP. VI, 275, priorem corripit.

Χίον, V, 183. Prima corripitur, quod minus placet in adjectivo. Versum Brunckius emendare tentabat. Sed dixit quoque Demodocus, AP. XI, 235 :

... Προκλέης δὲ Χίος.

Multo audacior Hedylus, ut collatis exemplis apparebit.

Ἔνδυμα, V, 199, paenultimam producit, quod aegre patimur. Justam syllabae mensuram servavere Euripides in Hercule furenti, 443, atque ipse Hedylus quando (VI, 292) ὑπένδυμα usurpavit.

Εὕρεμα, AC. III, 67, pro εὕρημα; cf. Dioscoriden, AP. VII, 411. Hoc verbum Atticistae non recipiendum putant.

Ἱεραγωγός, AC. III, 67, primam producit in arsi.

Καταμύω, AC. V, 16, paenultimam producit. De syllabae momento poetae non consentiebant.

Νεβρίδα, VI, 292, dactylum efficit. Secundam nonnulli poetae produxerunt. Cf. Lexicon Papii.

Ῥυτόν, AC. III, 67, pyrrichius est. Assentiunt Tragici. Trochaicum verbum est in Odyssaea, VI, 267, et XIV, 10.

Τειοῦτον. Prima diphtongus nunc brevis (AC. V, 16) nunc longa habetur (AC. V, 17).

Τίω, AC. III, 67, primam producit in arsi, quod congruit cum usu Homerico. At tragici vocabulum pro iambo acceperunt.

Ὕδωρ, AC. V, 17, est iambus, pariterque (AC. III, 67) invenimus ὑδάτων in fine pentametri.

Χρύσεοι, VI, 292, primam syllabam brevem exhibet, quae alibi longa est.

Posidippus vi caesurae semiquinariae duo syllabas producere ausus est in epigrammate XVI, 119:

Λύσιππε, πλάστα Σικυώνιε...
Δάΐε τεχνίτα, πῦρ τοι ὁ χαλκὸς ὁρῇ,

neque hic dicendum est duplicari consonantes in initio vocabulorum Σικυώνιε et πῦρ, namque in penthemimeri fere nusquam duplicibus consonantibus vocalis producitur.

Breves positione productas raro nostri in thesin (id est posteriorem partem) spondaeorum intulerunt, et quando hoc sibi indulgebant, monosyllabis vocabulis utebantur qui arctissime cum sequentibus cohaerebant; hoc videre licet ex Asclepiadae exemplo: AP. V, 64:

Ἦν γάρ με κτείνῃς...

Praepositionem pronomenque separare nequimus, quid mirum si γάρ longam efficit? Displicet quidem in Asclepiadae carminibus, AP. V, 167.

Οἶνος· καὶ Βορέης...

Namque post primum verbum distinguendi nota ponitur; sed hoc sibi quoque indulsit Meleager.

Correptionem ut dicunt atticam, vitabant Alexan-

drini scriptores, quando epica carmina pangebant. Hanc vero multo libentius in epigrammatis recipiebant. Quare mirari nequimus nostros frequenter ante mutam cum liquida brevem vocalem servavisse. Atque proniores fuerunt in correptionem quam Callimachus. Namque si ejus epigrammata cum Benekio perlustramus [1], 9 correptiones in versibus 140 nobis offendunt. Sed Asclepiades 19 habet in versibus 146 [2], Posidippus 23 in versibus 124, Hedylus denique 2 in versibus 60. Correptiones multas passi sunt, quae nullo modo necessariae erant ad faciendos versus. E quibus nonnullas verbi gratia appono, ex Asclepiada βεβρεγμένος, V, 167, 5; ὑβρίζει, V, 164, 1; τὸ τραῦμα, V, 162, 1, etc.; e Posidippo Κύπρον, XII, 131, 1; κυκνός, V, 134, 3; τὸ πρῶτον, V, 183, 3, etc.; ex Hedylo ἀπόκλειε, AC. V, 17, 3, et ἁπλάτου, AC. V, 16.

Syllabas in fine vocabulorum ante mutam cum liquida correptas nostri frequenter ponunt in priorem partem theseos dactylicae, namque vix alia ratione poetae in hexametro et pentametro verba includere poterant, quae, duabus consonantibus incipientia, formam iambi vel palimbacchii referebant. Quare tales syllabas Asclepiades habet 6 in priori parte theseos, 4 tantum in altera, Posidippus 9 in priore parte, 4 in altera.

Syllabae vero in mediis vocabulis ante mutam cum liquida correptae, praecipue locum habent in posteriore theseos parte, minus enim laeduntur aures, si duae consonantes in promissam syllabam cadunt quae sequentis pedis arsin efficit. Sed hanc legem nostri vel

1. *De arte metrica Callimachi*, Argentorati, 1880.

2. Quotiescumque numeros appono tantum de certis epigrammatis loquor. De dubiis licet tabellas in fine voluminis inspicere.

ignorant vel negligunt. Nam Posidippus fere omnes hujus modi correptiones in priore theseos parte collocavit.

Nonnulla addamus de litterarum conjunctionibus quae positionem non faciunt.

	Asclepiades	Posidippus	Hedylus		Asclepiades	Posidippus	Hedylus
βρ.....	3	0	0	τρ.....	2	1	0
πρ.....	2	5	0	θρ.....	0	2	0
φρ.....	1	3	0	πλ.....	1	2	1
γρ.....	4	0	0	κλ.....	1	3	1
κρ.....	4	3	0	χλ.....	1	0	0
δρ.....	0	3	0	κν.....	0	1	0

Libentius autem nostri ante mutam cum liquida vocalem producunt, praesertim quando uno verbo vocalis duaeque consonantes continentur. Exempla video 42 apud Asclepiaden, 26 apud Posidippum, 20 apud Hedylum. Callimachus, in 140 versibus epigrammatum, 29 tantum productiones habet; hinc patet eum majorem scribendis carminibus curam attulisse. Productionibus praesertim utitur in arsi quarti pedis hexametri. Similiter rem egerunt nostri, namque in ea sede Asclepiades 7 productiones adhibet, Posidippus, 4; Hedylus, 3. Qui nunquam anxia cum sedulitate productiones in thesi vitavere. Nonnullas enim invenio, quarum bona pars in secundo hexametri et pentametri pede occurrit. Hic enim locus semper recipiendis spondaeis aptus fuit. In secunda thesi hexametri Asclepiades 3 productiones usurpat, Posidippus 1, Hedylus 0; in secunda thesi pentametri Asclepiades 3, Posidippus 0, Hedylus 1. Quando autem ejusmodi syllabae in thesi occurrunt, arctissimis apud Alexandrinos poetas legibus circumscribebantur, quas nuper enucleavit Heepius [1].

1. *Quaestiones Callimacheae metricae*, Bonnae, 1884.

Hexameter enim syllabam tunc tantum in arsi secundi pedis patitur, quando sequitur dactylus. Unum obstat exemplum δραχμῶν in epigrammate mutilo Asclepiadae, V, 181. Hic legit Heepius δαρχμῶν, at videas an poeta sibi paulo majorem libertatem ideo arrogaverit quod gravitas spondaeorum multum leporis versui afferat. Quando syllaba in tertia thesi ponitur, eam plerumque excipit dactylus. In pentametro syllaba anceps tantum in thesi secundi spondaei invenitur. Posidippus vero adhibuit, XVI, 275:

Ὡς ἀκμῆς πάσης...

Sed fortasse ἀκμῆς ante penthemimeren ponendum est.

Quaedam adjicere libet de consonantibus quae promissam faciant syllabam.

	Asclepiades	Posidippus	Hedylus
βρ.....	2	0	2
πρ.....	10	4	1
φρ.....	2	1	0
γρ.....	1	0	2
κρ.....	8	7	2
χρ.....	2	1	2
δρ.....	2	2	0
τρ.....	3	1	4
θρ.....	0	2	0
βλ.....	1	1	0
πλ.....	1	4	2
γλ.....	0	1	1

	Asclepiades	Posidippus	Hedylus
κλ.....	2	0	0
φλ.....	0	0	1
τλ.....	1	0	0
θλ.....	1	0	1
κμ.....	0	2	0
χμ.....	1	0	1
θμ.....	1	0	0
πν.....	0	0	1
γν.....	1	0	0
κν.....	1	0	0
χν.....	2	0	0

Si tabellas inspicies libro appositas, quem de re metrica Callimachi scripsit Benekius, videbis magna ex parte nostros cum Callimacho consentire.

Iisdem litteris syllaba interdum longa fit, interdum, brevis; conferre licet in Asclepiadae carminibus, ἐδά-

κρυσε, XII, 135, 3, et δακρύοις, V, 145, 2; ἔτρωσε, V, 162, 1, et τὸ τραῦμα, V, 162, 1; ἐπεγράφετο, V, 181, 12, et ἐγέγραπτο, V, 158, 3; nec non apud Posidippum Κεκροπί, V, 134, 1, et ἱπποκρότου, XII, 131, 2; πάτρῃ, AC. III, 78, 2, et ἀλλὰ τρόχαζε, V, 83, 5; Κύπριδος, V, 211, 2, et Κύπρι, XII, 168, 7.

Longa interdum constare potest e brevi vocali duabusque consonantibus in initio verbi quod sequitur collocatis. Hac facultate utuntur duodecies Asclepiades, tredecies Posidippus, quinquies Hedylus. Eo magis productio placet quo arctius syllabae cohaerent. Quod fit si juxta apponuntur articulus et nomen, praepositio et nomen, pronomen et verbum.

Asclepiad.: ὁ γλυκύς, VII, 11, 1; τὸ τρίτον, V, 167, 1; τὸ ξυνόν, IX, 63, 4.

Posidip.: ὁ πλάστης, XVI, 275, 1; τὸ πλατύ, AC. I, 116, 6; ὁ γλυκύπικρος, V, 134, 4.

Hedyl.: ὁ γλυκύς, AC. II, 134, 1; τὸ ῥυτόν, AC. III, 67, 2.

Asclepiad.: ἐπὶ προθύροις, V, 153, 5; παρὰ προθύροις, V, 164.

Posidip.: ἀπὸ προθύρων, XII, 131, 4; ἐπὶ χθονί, AC. I, 116, 1; ἐπὶ Ζεφυρίτιδος, AC. I, 116, 3; κατὰ πλατέος, AC. III, 79, 6; ἀπὸ σταδίων, AC. III, 80, 6; παρὰ προχόῃ, S. III, 3.

Hedyl.: διὰ χρυσέου, AC. III, 67, 5.

Asclepiad.: μὲ κτείνῃς, V, 64, 3; μὲ φλέγετε, XII, 46, 2 [1].

Alia quaedam fortasse audaciora sunt, sed non displicent, τί πλέον, V, 85, 1; τί ζῶν, XII, 50, 4; πέντε στεφάνους, V, 181, 2 (Asclepiad.); δὲ γλυφέν, AC. III, 79, 3; χρῖε στήλην, AC. V, 15, 4; σὲ Ζελίη, S. III, 2 (Posidip.); ἔθετο προχόην, V, 292, 6 (Hedyl.).

1. Legam quoque libenter apud Posidippum, AP. V, 211:

"Αλγος ὅ με κνίζων καίνον ἄγει τι πόθος, vel
"Αλγος ὅ με κνίζει καίνον ἄγουσι πόθοι,

neque enim tolerare possumus quod in editione Didotiana invenitur

"Αλγος ὁ μὴ κρίνων καινὸν ἄγει τι πόθος.

Quiddam inconditi habent apud Asclepiaden, ἄπεχε, τρηχεῖα VII, 284, 1. Neque magis probandum in carmine Posidippi Λύσιππε, πλάστα, XVI, 119, 1. Namque vocalis et duae consonantes distinguendi nota separantur.

Ex istis ancipitibus syllabis magnam partem recipit arsis quarti pedis in hexametro. Quod fit quater apud Asclepiaden, ter apud Posidippum, semel apud Hedylum. Benekius, qui Callimachi opera summa cum sedulitate tractavit, declarat poetam productionibus brevium syllabarum ante mutam cum liquida in fine vocabuli non usum esse, nisi in sede ictu corroborata pedis secundi et quarti. Quae lex admodum valuit apud Posidippum et fortasse apud Asclepiaden. Quod enim legimus in initio hexametri ὁ γλυκύς, multum excusationis habet, nam articulus et sequens nomen arctissima conjunctione cohaerent[1].

In thesi Callimachus interdum brevem produxit ante duplicem consonantem. Bis legitur in epigrammatis ὁ ξεῖνος. Hoc vero ferre possumus, namque articulo constat thesis spondaei secundi, qui locus semper recipiendis productionibus fuit aptissimus; deinde unum, ut ita dicam, vocabulum efficiunt articulus et nomen. At similem libertatem sibi nunquam arrogavere Posidippus et Hedylus. Asclepiades contra non timuit scribere : ἀλλὰ Κλειοπάτρης, τὸ γλύμμα et τί ζῶν. Sed e tribus his exemplis, duo e dubio epigrammate IX, 752 defluxere, tertium vix reprehensione dignum est, quum sint monosyllaba τί atque ζῶν, atque aegre ante ζ correptione utantur poetae.

1 Hinc vides plane abjiciendum esse, AC. II, 134 :

Τυφλὸς ὑπαὶ γήρως οἴχωκε, Σκιρπάλου υἱός.

Adde quod nunquam Hedylus distinguendi notam posuit post quartum spondaeum.

Eae sunt consonantes vel consonantium conjunctiones quae syllabam producant.

	Asclepiades	Posidippus	Hedylus		Asclepiades	Posidippus	Hedylus
πρ.....	2	2	1	ῥ.....	0	0	1
χρ.....	0	0	1	τρ.....	2	0	0
πλ.....	1	4	0	φλ.....	1	0	0
γλ.....	1	2	1	χθ.....	0	1	0
κτ.....	1	0	0	στ.....	2	2	0
ξ.....	1	0	0	ζ.....	1	2	0
ψ.....	0	0	1				

In epigrammate dubio Asclepiadae, VII, 217, 2, simplex consonans ῥ positionem facit.

Si duae vocales concurrunt quarum altera in fine prioris, altera in initio sequentis vocabuli posita sit, interdum prior fit e longa brevis. Quod frequenter apud nostros animadvertes. Ejusmodi correptiones habent 25 Asclepiades, 28 Posidippus, 6 Hedylus. Nequaquam displicent dummodo in secunda theseos parte occurrant. Numeros apponamus.

Asclepiades..	in priori	theseos parte	correptiones	adhibet	3
—	in altera	—	—	—	22
Posidippus...	in priori	—	—	—	4
—	in altera	—	—	—	24
Hedylus	in priori	—	—	—	3
—	in altera	—	—	—	3

Facilius patiuntur lectores correptionem quae vel in medio dactylo intercedit, quando vocabula distinguit caesura κατὰ τὸν τρίτον τροχαῖον. Quare hunc in locum ancipites illas syllabas intulere semel Asclepiades, bis Posidippus semel Hedylus.

Collisio autem minime laedit aures, quando fit ante quintam arsin hexametri. Intercedente enim caesura

bucolica metrorum cursus paululum consistebat. Ideo hac in sede praesertim vocalem nostri corripuerunt. Sed appositis tabellis numerorum ratio multo luculentius apparebit.

Hexametri.

	Post I pedem	Post II ped.	Post III ped.	Post IV ped.	Post V ped.
Asclepiades..	1	0	5	7	3
Posidippus...	5	1	3	6	2
Hedylus.....	0	0	1	2	0

Pentametri.

Asclepiades..	2	0	4	0
Posidippus...	5	0	2	0

Hedylus unam tantum habet ejusmodi correptionem quae in medio dactylo efficitur.

Facillime deminuuntur diphtongi αι atque οι, facillime etiam particulae, verba et pronomina. In adjectivis nominibusque magis poetae haerent. Numeros inspicientes videbimus Posidippum paulo audaciorem fuisse quam Asclepiaden. Etenim hae syllabae breves fiunt:

Apud Asclepiaden, αι in particula καί undecies, in verbis octies, in nominibus et adjectivis nunquam.

Apud Posidippum, αι in particula καί octies, in verbis quater, in nominibus et adjectivis quater.

Apud Hedylum, αι in particula καί ter, in verbis bis, nominibus et adjectivis nunquam.

Apud Asclepiaden, οι in particulis nunquam, in pronominibus quater, in nominibus et adjectivis nunquam.

Apud Posidippum, οι in particulis bis, in pronominibus bis, in nominibus et adjectivis bis.

Apud Asclepiaden, ω in nominibus bis.

Apud Posidippum, ω in nominibus semel.

Corripiuntur quoque apud Posidippum ἥ, ἐρωμένη, ψυχή, Δωρίχα, Θευγένει, apud Hedylum ἥ. Nil tale in Asclepiadae carminibus.

Elisione detruditur tota syllaba. Quod Alexandrinis durum aliquid habere videbatur. Severiores leges poetae docti tulerunt, quibus non eumdem in modum nostri obtemperavere. Asclepiades tempore prior insulamque Samum inhabitans liberius egit quam Posidippus atque Hedylus. Ea enim est ratio elisionum quas apud unumquemque reperimus. Asclepiades in versibus 146 patitur 83 elisiones, Posidippus 54, in versibus 124; Hedylus 21, in versibus 60; Callimachus 55, in versibus 140.

Nunquam Graecis displicuit si brevem offenderet syllaba quae ejiciebatur. Sed melius post arsin vocalium concursio fiebat quam post primam partem theseos dactylicae. Numeros apponamus:

	Elisio post arsin	Post primam partem theseos
	—	—
Asclepiades....	40	18
Posidippus.....	18	16
Hedylus.....	8	4

Hinc apparet Asclepiaden, quanquam nimia sollicitudine non laborat, melius Posidippo versum pangere. En alia quae ad firmandam hanc opinionem accedunt. Displicet elisio si intercedit in hexametro post secundum pedem, tertiam arsin, tertium trochaeum, quartumque dactylum. Asclepiades duo tantum habet hujusmodi elisiones quarum altera post tertium trochaeum, altera post quartum dactylum intercedit. V, 158, 1, et XII, 166, 3:

Ἑρμιόνῃ πιθανῇ ποτ' ἐγὼ συνέπαιζον...
... βάλλετέ μ', ἀλλὰ κεραυνοῖς...

Atque hi duo versus minime aures laedunt, quum sit minima vis particulae et pronominis. At Posidippus duas elisiones post secundum hexametri pedem collocavit, unam post penthemimeren eamque molestissimam, XII, 120, 3:

Ἤν με λάβῃς μεθύοντ' ἄπαγ' ἔκδοτον...,

rursus tres post tertium trochaeum, duasque post quartum dactylum. Culpam vitavit Hedylus, sed caveamus ne eum nimia laude efferamus. Nam si plures versus nobis praesto essent, fortasse poetam peccavisse videremus.

In eligendis vocabulis quae elisionem passura sint, Asclepiades e commodo rem administrat. Namque vel nominum ultimam syllabam aliquoties abstulit. Quod nunquam admisit Hedylus, semel tantum Posidippus in nomine proprio. XII, 168:

Ἡλιόδωρ', εἶπας· ὅστις ἐρῶν ἔτυχεν.

Sed en accuratiora de litteris quae in elisione cadunt.

ASCLEPIADES

	Particulae —	Praepositiones —	Adjectiva et Pronomina	Verba —	Nomina —
A.....	9	5	6	0	6
E.....	27	0	10	7	0
I.....	2	1	0	3	0
O.....	0	0	2	1	0
AI.....	0	0	0	0	4

POSIDIPPUS

A.....	2	5	5	0	0
E.....	23	0	1	6	1
I.....	2	4	0	0	0
O.....	0	0	2	0	0
AI.....	0	0	0	3	0

HEDYLUS

	Particulae —	Praepositiones —	Adjectiva et Pronomina	Verba —	Nomina —
A.....	3	3	1	0	0
E.....	9	0	0	1	0
I.....	0	0	0	1	0
O.....	0	2	0	0	0
AI.....	0	0	0	1	0

Aphaeresis una est apud Asclepiaden[1]:

... μοι ἡ' πιδοητός.

Crasin idem persaepe adhibet in κοὐχ, V, 150; χὠ V, 209 in dubio epigrammate; XII, 17, 135; καὐτός, V, 167; κἀμέ, VI, 308; κεἴκοσι, XII, 46; κἀνθρακιήν, XII, 166; κἀγκονεῖς, XIII, 23; ταὐτά, V, 164; ταῖδα, V, 162; τοὐμοῦ, XII, 105, atque οὐμός, XII, 162, quae in textum recipere nolui; ὠνήρ, V, 209 in dubio epigrammate; Ὤρωτες, XII, 46. Hac in re Meleager exempla magistri secutus est; summo jure, namque istae contractiones carminibus rapidis pressisque aptissimae sunt. Posidippo alia placent. Etenim usurpavit tantum οὕνεκεν, AC. III, 78, τοὔνεκα et τἀξόπιθεν in epigrammate non admodum certo, XVI, 275, et τἄλλα in loco (XII, 168) qui gravissimis corruptelis laborat. Hedylus contra dixit κοὐ, κήν et κὤχετο, AC. I, 115; II, 134; AP. XI, 123 in epigrammate dubio. Usus synaereseos atque diaireseos hic est apud unumquemque.

Asclepiad.: ἀνθέων, V, 158; Καρίων, V, 181; χρυσέην, XII,

1. AP. V, 150. In epigrammate Hedyli miserrime corrupto, legunt Kaibelius et Pregerus, AC, II, 134:

Αὐλητής, μίμων ἢ' ν θυμέλῃσι χάρις...

Huic vero conjecturae adstipulari nequeo, namque, arbitror, ne Hedylus quidem sententiam adeo contortam admisisset.

162 et χρυσέων, V, 194 in epigrammate dubio; θεῶν, XII, 166; ὑμέων, XII, 166. Posidip. : ἀθροιζόμεθα, V, 183; χρύσεα, XII, 77, in epigrammate dubio; ὑμέων, XVI, 275. Hedyl.: χρυσέου, AC. III, 67; χρυσέην, VI, 292; Νικαγόρεω, V, 199.

Asclepiad. : ἠϊθέοισι et ὀϊστούς, V, 194; ἠϊόνος, V, 209, in epigrammatis dubiis; in eodem carmine inest ἠόνι; Ἀΐδας, VII, 11; ταΐδα, V, 162; πυρκαϊῆς, VII, 217 in epigrammate dubio; Εὐμάρεω, VII, 284; non enim trisyllabum est vocabulum, quum secunda sit brevis.

Posidip. : εὐπλοίην, AC, I, 116; ψεύδεϊ, AC. III, 79[1].

Hiatum praebet Asclepiades in epigrammate dubio V, 209 :

Σῇ, Παφίη Κυθέρεια παρ' ἠόνι εἶδε Κλέανδρος.

Quod excusari potest quum principio vetustissimi poetae ante hoc vocabulum digamma posuerint. Pariter Posidippus AC. III, 81 :

... ὦ ἄνα Πρωτεῦ.

Hoc Graecis minime ingratum erat excussae consonantis memoriam servantibus. Adde quod concursu vocalium carmen fit grave sonans et antiquitatis majestate decoratur. Hunc in modum Callimachus, hymnum in Jovem quando pangebat, cantavit

... καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο [2].

1. In epigrammate AC. I, 116 ponit editio Parisina Ζεφυρηΐδος. De quo verbo conferas cap. II, p. 33, n. 1.

2. In epigrammate AC. V, 16 admisit Parisinus editor

... λιθούμεθα, ὡς τὰ πάλαι που,

quod aegre patiendum est. Neque melius, in poematio Posidippi, AC. III, 80 :

... σκοπιωρεὶ ὡς ἐπὶ νήσων.

De duobus his locis, vide notulas criticas, in fine capitis secundi appositas.

Ex his patet Asclepiaden quaerere quae constricta sint atque expedita, crasin et elisionem. Ceterum multa pro arbitrio disponit, sed ea est felicitate ingenii ut saepe meliora praebeat quam Posidippus. Is e contrario severiores Alexandrinorum leges observat. Huic Hedylus adstipulatur, qui tamen nonnulla ex Asclepiada deprompsit. Consentaneum est hominem acerbum atque acerrimum vivido pressoque dicendi genere delectari.

VIII

DE RE METRICA

Notum est Alexandrinos non multum varietati metrorum tribuisse. Tunc enim carmina legentibus, non audientibus, conscribebantur, quare necesse erat non nimis intricatas versuum conformationes adhibere, ut poesis vel sine musicae auxilio placere posset. Quo recentiores poetas adimus, eo arctius elegorum atque hexametri finibus concluduntur. Idcirco non mirabimur si natu prior Asclepiades plures versuum formas usurpat.

Ex illo nomen accepere Asclepiadeus major atque minor qui vel choriambicis vel logaedicis metris annumerantur. Asclepiadeus minor constat trochaeo vel spondaeo, choriambis duobus, atque uno iambo. At haec fortasse ita dividere praestat ut habeamus, trochaeum, dactylum κυκλικόν, μακρὰν τρίσημον, dactylum κυκλικόν, trochaeum et μακρὰν τρίσημον. Ideo trochaico generi versus adscribendus videtur. In Asclepiadeo majore accedit tertius choriambus qui ante iambum locum habet.

Asclepiadeus minor vel solus, vel aliis cum versibus commixtus quatuor efficit stropharum genera quae Asclepiadea prima, secunda, tertia et quarta nominantur.

Haec omnia Samius non invenit. Namque Aeolii lyrici duobus versibus Asclepiadeis utebantur. Christius conjecit ab Asclepiada metro nomen inditum fuisse

quia primus hic in initio basin spondaicam posuerit. Quod verum esse potest, sed argumentis firmari nequit. Nihil enim inter Asclepiadea Asclepiadeo metro conscriptum habemus. Sed verisimile est haud pauca prius talia exstitisse. Nam Samius Lesbi poetas summa veneratione coluit[1], neque praetermittendum est Theocritum Asclepiadae discipulum Asclepiadeis versibus carmen conscripsisse, quando colum misit uxori Niciae Milesii medici. Non procul absunt Samos et Miletus, atque Niciam in Co insula verisimiliter noverat Theocritus. Qua re manifestum est quantum vel in eligendis metris Alexandrini memoriam regionum servaverint in quibus vitam degebant vel ipsi vel ii quibus poemata mandabant.

Alia quoque tentavit Asclepiades. Trimeter scazon est

Ὃ καὶ κυνὸς καλοῦσι δυσμόρου σῆμα.

Quod bene congruit cum rabidis Hecubae furoribus. Sed en epigramma totum multo insolentiorem speciem referens. Tres distichos continet, qui constant ex versibus iambicis. Tetrameter est prior, atque deinde trimeter, uterque catalecticus in syllabam[2].

In imparibus sedibus spondaeus pro iambo accipitur:

Pes primus tetrametri ὃς πρέσ — βυς; trimetri ἥδη.
— tertius — παρέρ — πων μι — κρόν; trimetri τέ — χνᾳ καί.

In quinta sede invenio tantum iambos. Quod consulto factum fuerit annon nescio.

Tetrameter caesuras habet penthemimeren (1 et 5) vel solam trithemimeren (3). Semper est incisio post sextum pedem. Versus igitur resolvitur in senarium et dipodiam catalecticam.

1. Cf. Knaackium, AL, t. II, p. 526, a. 37.
2. XIII, 23.

Trimetrum, qui distichum concludit, dividit caesura penthemimeres (4 et 6) vel hepthemimeres (2).

Ceteri Asclepiadae versus qui ad nos pervenerunt sunt elegi. Elegiacum pariter metrum ubique usurpatur in servatis Posidippi atque Hedyli carminibus. Quod ab Archilocho solemne erat apud unumquemque epigrammatum scriptorem. Alexandrini poetae hoc magis etiam in consuetudinem produxerant, sed in tanta similitudine tamen unicuique proprium ingenium licebat patefacere.

Nam primum non aequa semper ratione spondaei dactylique adhibebantur. Dactylorum levitatem quaesiverunt magis magisque poetae docti, atque paulatim longas theses repudiaverunt. Quare conjicere possumus plures apud Asclepiaden quam apud Posidippum spondaeos inveniri. Quae sententia etiam confirmabitur, si varia schemata apponemus quorum ad exemplar nostri hexametrum vel pentametrum componunt.

Hexameter.

	Asclepiades	Posidippus	Hedylus		Asclepiades	Posidippus	Hedylus
	—	—	—		—	—	—
dddd..	18	20	5	sdsd ..	4	1	1
sddd..	7	6	3	sdds ..	3	0	0
dsdd..	14	12	4	ddss ..	0	2	2
ddsd..	7	4	2	dssd ..	7	1	1
dsds ..	2	2	1	ssds...	2	1	4
ddds..	2	6	0	sssd...	2	2	1
ssdd ..	5	5	4	dsss...	0	0	2

Pentameter.

dd....	16	18	6	sd	12	6	4
ds....	27	24	10	ss	18	14	10

Hinc elucet Asclepiaden et Posidippum differre. Si enim in versibus tantum pedes consideramus qui muta-

tionibus obnoxii sunt, id est quatuor priores in hexametris duoque priores in pentametris, hanc longarum breviumque rationem nanciscimur.

Asclepiades.	in hexametro	208	dactylos habet,	84	spondaeos.
—	in pentametro	71	— —	75	—
Posidippus..	in hexametro	189	— —	59	—
—	in pentametro	66	— —	58	—
Hedylus....	in hexametro	72	— —	48	—
—	in pentametro	26	— —	34	—

Quae ut melius appareant dicere licebit :

Asclepiades in quatuor prioribus hexametri pedibus pro spondaeis 100, haberet dactylos 247.

Asclepiades in duobus prioribus pentametri pedibus pro spondaeis 100, haberet dactylos 94.

Posidippus in quatuor prioribus hexametri pedibus pro spondaeis 100, haberet dactylos 320.

Posidippus in duobus prioribus pentametri pedibus pro spondaeis 100, haberet dactylos 113.

Hedylus in quatuor prioribus hexametri pedibus pro spondaeis 100, haberet dactylos 150.

Hedylus in quatuor prioribus pentametri pedibus pro spondaeis 100, haberet dactylos 76.

Neque haerere debemus in eo quod Hedylus junior Posidippo et Alexandriae vivens multos spondaeos in versibus intulerit. Vehemens enim homo erat pronusque ad iracundiam, quare quando in pravos homines feminasve invehebatur, non ei displicebat illos ut ita dicam longarum syllabarum mole obruere.

Ceterum nostri non ita libenter spondaeum in tertia sede hexametri ponunt. SDSS atque SSSS pariter atque Callimachus respuit Asclepiades; bis adhibuit SSSD, sed ex his duobus versibus alter mutilus est, in altero culpa nomine proprio excusatur. DSSS omnino caret.

Septies invenitur DDSD, et quater SDSD; sed omnes illi hexametri bucolica caesura distincti sunt [1].

Posidippus quoque formis SDSS et SSSS uti noluit; pariter neglexit DSSS. Duos versus, qui formam SSSD habent, patimur quum in eis Καλλιστίῳ et Πελληνίδος legamus. DDSD quater occurrit, sed hos versus perpendentibus apparet in tribus intercedere caesuram bucolicam atque in omnibus nomina propria. Semel reperio SDSDS et hic quoque inest caesura post quartum dactylum [2].

Hedylus pari cura praestat. Vitavit enim SDSS atque SSSS. In versu tertio epigrammatis AC. III, 67, animadvertit lector SSSD, sed hic duo nomina propria insunt. DSSS bis usurpat Hedylus, sed versus adeo corruptelis foedati sunt, ut nihil certum de iis afferre possimus. Si ea servanda sunt quae in annotationibus criticis apposui quaeque proximam cognationem cum lectionibus membranarum habent, animadvertere oportet culpam in duobus locis non omnino excusationis carere, quum Σκίρπαλος nomen sit proprium, nec sine quadam ambitione scriptor per anaphoram πάντως et πάντων juxta ponere voluerit. Versus qui schema DDSD referunt, duo sunt et bucolicam habent. Bucolica etiam, triaque nomina propria, et anaphora simul conjuncta fuerunt in uno hexametro qui secundum schema SDSD dispositus fuit [3].

Elegantiores formas DDDD et DSDD manifesto pluris faciunt Asclepiades et Posidippus. Eas autem Hedylus

1. In epigrammatis dubiis semel inest ddsd, atque bis sdsd, sed omnes ii versus vel nomina propria, vel bucolicam habent.

2. In epigrammatis dubiis, versus XII, 77, 1 (DDSD) bucolica non caret.

3. Similis est metrorum ratio in epigrammatis dubiis. Haec sunt hexametrorum schemata quae animadversione digna videantur. SSSD bis cum bucolica et nominibus propriis; DDSD semel cum bucolica et duobus nominibus propriis.

nihilo potius ducit. In pentametro anteponendus spondaeus dactylo subjectus. Ita versum struxere vicies et septies Asclepiades, vicies et quater Posidippus.

Uterque commixtis longis brevibusque varios animi motus apte scit reddere. Quam vivide Asclepiades. AP. V, 162, 3 :

Οἴχομ', Ἔρωτες, ὅλωλα, διοίχομαι.

Solemnia e contrario. AP. V, 164, 3 :

Κληθείς, οὐκ ἄκλητος ἐλήλυθα.

Graviter Posidippus adversus Amorem stat infensus. AP. XII, 120 :

Εὐοπλῶ, καὶ πρός σὲ μαχήσομαι...

Neque illepide spondaeis immensa helluonis fames ostenditur. AC. III, 78 :

Πάτρη γὰρ βρώμην οὐκ ἂν ἐπέσχε Θάσος.

Haec apud Hedylum non ita saepe occurrunt. Attamen non sine quadam alacritate dixit poeta longarum syllabarum amans. AC. V, 16 :

Ὀψοφάγει, Κλειοῖ, καταμύομεν, etc.

De caesuris compertum habemus Alexandrinos paulatim semiquinariam trochaicae postposuisse. Jam Callimachus multo libentius trochaicam adhibuit quam penthemimeren. Nullus autem nostrorum eo progressus est; semper penthemimeren anteponunt, sed propius ad Callimachum accedit Posidippus.

Asclepiades..	habet	46	semiquinarias	et 27	trochaicas.
Posidippus...	—	36	—	et 26	—
Hedylus.....	—	19	—	et 11	—

Idcirco :

Asclepiades..	pro 100	trochaicas	haberet	170	penthemim.
Posidippus...	—	—	—	138	—
Hedylus.....	—	—	—	172	—

Bucolica pariter semper magis accepta erat doctis scriptoribus. Eam frequenter Asclepiades usurpat; rarius Posidippus atque Hedylus. Quod primo obtutu de Posidippo mirandum, sed ni fallor, difficultatem possumus enucleare. Libenter bucolica cum semiquinaria consociatur quia illa nescio quid molle atque elegans habet; haec autem dura est atque roboris plena. Quare poeta noster qui Alexandriae habitabat saepius trochaicam adhibens interdum bucolica abstinuit, cavebat enim ne versus nimis effeminarentur.

Hinc numerorum rationem intelligimus quae sequitur :

Bucolicas habent Asclepiades 58, Posidippus 44, Hedylus 20. Ante omnia placet nostris penthemimeres cum bucolica (Asclepiad. 27, Posidip. 17, Hedyl. 14). Adjici potest hepthemimeres quia legentes caesuram secundariam negligimus (Asclepiad. 14, Posidip. 12, Hedyl. 1). Penthemimeres cum semiseptenaria dura est (Asclepiad. 4, Posidip. 6, Hedyl. 4). Trochaicam si bucolica excipit, non displicent numeri, quanquam nervis tantillum carent (Asclepiad. 12, Posidip. 10, Hedyl. 4). Si autem trochaicae hepthemimeres accedit, non aptum inest inter caesuras intervallum (Asclepiad. 4, Posidip. 5, Hedyl. 2). Adjungamus etiam bucolicam incisionem, nihil habet versus quod displiceat, quia post quartum pedem consistere possumus (Asclepiad. 5, Posidip. 5, Hedyl. 1). Rari sunt versus qui unam habent semiquinariam vel trochaicam. Illam fere nunquam, hanc aliquoties satis ducunt nostri poetae. Sola

trochaica versus distinguunt Asclepiades 5, Posidippus 6, Hedylus 4; sola penthemimeri unum Asclepiades atque Posidippus, nullum Hedylus.

Quaedam sunt aliae incisiones quae versus compaginem, ut ita dicam, resolvunt. Quare illis plerumque abstinent docti scriptores. Post tertium spondaeum non apta est incisio. Eam vitat Posidippus qui levitate delectatur. Aliter Asclepiades [1] atque Hedylus [2]. Asclepiades [3] Posidippusque [4] frequenter verbum simul secundumque trochaeum concludunt, id autem Hedylo displicet, qui vim et gravitatem scribendo affectat. Immodulatum est metrum quod post quartum trochaeum abrumpitur. Hanc licentiam bis tantum admisit Asclepiades, semel Posidippus, nunquam Hedylus, atque semper quaedam est culpae excusatio. Habemus enim, verbi gratia, V, 145 :

... κάτομβρα γὰρ ὄμματ' ἐρώντων.

Quod patimur, namque γάρ arctissime cum praecedentibus cohaeret, summaque vis est bucolicae, quare minus incisioni quae juxta ponitur attendimus. Similia sunt in epigrammatis V, 150, 1, et 211, 3. Post quartum spondaeum caesuram Asclepiades atque Hedylus plerumque respuunt, interdum adhibet Posidippus [5].

Asclepiades, qui multum sibi indulget, nonnulla praebet non admodum concinna, ut, XII, 135 :

Οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος.

Sed hoc ignoscendum. Alius versus mihi etiam lau-

1. Cf. AP. V, 85, 1; 150, 1; 167, 1; 207, 1; VII, 308, 3, etc.
2. Cf. AP. XI, 123, 1; AC. I, 115, 5; V, 17, 3, etc.
3. AP. V, 64, 5; 85, 3; 153, 1; 158, 3; 162, 3, etc.
4. V, 134, 1; 186, 3; 211, 3; 213, 1, etc.
5. AP. XII, 168, 3; AC. I, 116, 5; III, 80, 7, etc.

dandus videtur, ob id ipsum quod verba contra consuetudinem nectuntur. V, 162 :

Οἴχομ', ἔρωτες, ὄλωλα...

Numeri ter post trochaeum interrupti mire dolorem atque suspiria amantis reddunt.

Maximi momenti sunt verba quae in fine ponuntur. Hic nostrorum quaedam apparet dissimilitudo.

	In Hexametris			*In Pentametris*		
	Asclep. —	Posidip. —	Hedyl. —	Asclep. —	Posidip. —	Hedyl. —
Voces I syll.....	9	4	2	1	0	0
— II —	24	22	12	13	17	8
— III —	31	26	10	29	19	11
— IV —	8	10	4	17	20	10
— V —	0	0	2	9	6	0
— VI —	0	0	0	1	0	1
— VII —	0	0	0	1	0	0

Lex non eadem est quae servatur apud Latinos. Non tantum in hexametro, sed in pentametro quoque trisyllaba verba Graeci videntur praetulisse. Longissima sunt in pentametro. Quod jam cernemus si de quatuor syllabarum vocabulis rationes inspiciemus. Sed addendum est apud nostros interdum sesquipedalibus vocibus concludi pentametrum. Ἐννεακαιδεκέτευς et ἀναπαυσόμεθα usurpavit Asclepiades, διδασκαλίην atque προϊσχόμενος Posidippus, μελιχρότερον Hedylus [1].

Manifesto Asclepiaden juvant trisyllaba verba, monosyllaba saepius apud eum occurrunt, quod praeclare cum presso dicendi genere congruit. Similia proferre licet de Meleagro, assiduo Asclepiadae imitatore.

Alia est quaestio quibus in locis distinguendi notae

1. AP. VII, X11; II, 50; XVI, 275; AC. III, 79; IV, 25.

ponantur. Pensitatis nostrorum versibus hanc tabellam nanciscimur. In hexametro interpunctiones habent:

Asclepiades: post primam arsin, 3; post primum trochaeum, 3; post primum spondaeum, 2; post primum dactylum, 1; post trithemimeren, 3; post secundum trochaeum, 2; post secundum spondaeum, 1; post penthemimeren, 16; post trochaicam tertiam, 12; post hepthemimeren, 3; post bucolicam, 40; post quintum trochaeum, 7; post sextam arsin, 1.

Posidippus: post primum spondaeum, 1; post primum dactylum, 5; post trithemimeren, 6; post secundum trochaeum, 1; post penthemimeren, 5; post trochaicam tertiam, 11; post hepthemimeren, 3; post bucolicam, 26; post ennhemimeren, 1; post quintum trochaeum, 1.

Hedylus: post primum dactylum, 1; post trithemimeren, 6; post secundum dactylum, 1; post penthemimeren, 7; post trochaicam tertiam, 3; post hepthemimeren, 1; post bucolicam, 11; post quintum dactylum, 3.

Hinc apparet saepius interpungere atque audacius Asclepiaden. Non sine leporibus, meo quidem arbitrio, V, 164, et VI, 308:

> Νύξ, σὲ γὰρ οὐδ' ἄλλην...,
> Κάμὲ, χάριν Μούσαις τὸν κωμικὸν ὧδε Χάρητα.

Alii contra, unius tenoris, plena sunt gratiae atque mollitiae. V, 169:

> Ἥδιον δ' ὁπόταν κρύψῃ μία τοὺς φιλέοντας
> Χλαῖνα...

Posidippus interdum nullas adhibet distinguendi notas, ut gravius solemniusque sonet oratio. AC. I, 116:

> Τοῦτο καὶ ἐν ποταμῷ καὶ ἐπὶ χθονὶ τῆς Φιλαδέλφου
> Κύπριδος ἱλάσκεσθ' ἱερόν Ἀρσινόης.

Ceterum nostri mirum in modum consentiunt. Saepissime sensus cum quarto dactylo absolvitur. Jam novimus quanta gratia apud Alexandrinos bucolica florebat. Rariores autem interpunctiones post tertiam arsin tertiumve trochaeum, hic enim tantillum cursus numerorum consistebat, gratiusque videbatur si cauta fieret metri sententiarumque discrepantia. Libentius cum trochaica sensum concludit Posidippus, Alexandrinorum exempla secutus. Semiquinariam anteponunt Asclepiades atque ipse Hedylus, qui versus emollire nolebat. Notandum est omnibus adeo displicuisse incisionem post quartam arsin. Hoc ideo factum est quod bucolicae semper major accedebat auctoritas.

In pentametro hunc in modum distinguendi notis utitur unusquisque.

Asclepiades : post primam arsin, 1 ; post primum trochaeum, 4; post primum spondaeum, 3; post primum dactylum, 10; post secundam arsin, 8; post secundum trochaeum, 2; post penthemimeren, 12; post quartum trochaeum, 3; post quartum dactylum, 6; post quintum trochaeum, 1; post quintum dactylum, 1.

Posidippus : post primum trochaeum, 8; post primum spondaeum, 3; post primum dactylum, 4; post secundam arsin, 7; post secundum trochaeum, 1; post penthemimeren, 11; post quartum dactylum, 4.

Hedylus : post primum trochaeum, 1; post primum spondaeum, 2; post secundam arsim, 9; post penthemimeren, 1; post quartum dactylum, 1.

Hinc vidimus quanto major insit Asclepiadae varietas; ceterum omnes versus scripsere qui in semiquinaria nullam interpunctionem habent. Elegantius enim metrum si hanc in speciem componitur. AP. V, 145 :

Μίμνετε, μὴ προπετῶς φύλλα τινασσόμενοι.

Quisque incisionem post quintam arsin vitavit, qua adhibita numeri bis finem facere viderentur.

Magis acceptum est cum priore versu periodum non concludi. Hoc poeta duplici ratione vitare potest. Primum si collocat in fine hexametri verba quae magis cum sequentibus cohaereant. Deinde si in initio pentametri quaedam ponit quae arctissimo vinculo cum praecedentibus nectantur. Saepe apud nostros prima sententiae vocabula ultimi hexametri pedes continent, quod jam prospicere potuissemus, quum libenter fiat post quartum dactylum incisio. Hac arte poetae numeris varietatem addentes alteram non multi fecerunt, quod desideramus, namque verba in principio pentametri posita multum decoris splendorisque accipiunt. Quod tamen nullus ignoravit. Non sine nervis Asclepiades. V. 167:

... Αἳ σὺ γὰρ οὕτως
Ἦλυες...

Atque Posidippus, V, 213:

Εἰπὲ δὲ σημεῖον, μεθύων ὅτι καὶ διὰ κλωπῶν
Ἦλθον...

Libenter ita de pentametro demitur trochaeus, vel spondaeus, vel dactylus, vel tota penthemimeres. Insolentem formam adhibuit Asclepiades, dicens, VII, 11:

..... Εἰ δ' Αἴδας οἱ
Μὴ ταχὺς ἦλθε...

Sed ei gratius est post dactylum sententiam absolvere. Posidippus autem post primum trochaeum. Durus ac vehemens Hedylus aliquoties hunc in modum tres longas possit. AC. II, 134:

... ὁ γλυκὺς οἰκεῖ
Αὐλητής...

Ex omnibus praesertim Posidippum delectat ita versum pangere ut ne distichi finibus sententia claudatur. Ausus est enim talia scribere quae severior judex damnaret. XII, 45 :

... Μὴ φείσησθ', ἄρρονες· ἦν γὰρ ἐμέ
Νικήσητ', ὀνομαστοὶ... ἔσεσθε.

Atque AC. III, 78 :

Πάτρη γὰρ βρώμην οὐκ ἂν ἐπέσχε Θάσος
Θευγένει.

Pariter AC. III, 79 :

... δράκοντος
Εἶχέ ποτ' εὐπώγων τόνδε λίθον κεφαλή
Λευκὰ φαληριόωντα...

Alexandrini poetae scitam in versibus verborum juncturam quaerebant. Libratis, ut ita dicam, nominibus et adjectivis non parvum decus accipiunt Philetae opera. Ista ornamenta minus epigrammatum generi apta erant, quod propius ad solutam orationem accedit. Quare ea nostri adhibuere sed pudenter. Quaedam exempli gratia apponamus [1]. Asclepiad., XII, 105 :

Ἀλλ' αὐτοῦ φιλέων τε καὶ ἀζήλωτα φιληθείς.

V, 145 :

Αὐτοῦ μοὶ στέφανοι παρὰ δικλίσι ταῖσδε κρεμαστοί.

XII, 163 :

Εὗρεν Ἔρως τί καλῷ μίξει καλόν.

1. Wilamowitzius (ap. *Hermes*, 1879, p. 167) jure animadvertit in duobus distichis Asclepiadae aptissime verba disposita fuisse, V, 164, 1 et 3 :

Νύξ, σὲ γὰρ οὐδ' ἄλλην μαρτύρομαι.
Κληθεὶς οὐκ ἄκλητος ἐλήλυθα.

V, 162 :

Ἡ λαμυρή μ' ἔτρωσε Φιλαίνιον.

Posidip., XVI, 275 :

Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσί.

S, 3 :

Οὐ δέ τοι ἀκρόνυχοι ψυχραὶ δύνουσι Πέλειαι.

AC. III, 77 :

Ἤ ποτε τὸν χαρίεντα περιστέλλουσα Χάραξον.

AC. II, 81 :

Ἀλλ' ἐπὶ τὴν Ζεφυρῖτιν ἀκουσομένην Ἀφροδίτην.

Hedyl., AC. III, 67 :

Νεῖλος ὁκοῖον ἄναξ μύσταις φίλον ἱεραγωγοῖς.

Pentameter facilius hanc aptam compositionem recipit.
Asclepiad., V, 64 :

Πάντα τὰ πορφύροντ ἐν χθονὶ σεῖε νέφη.

V, 64 :

Ζεῦ, διὰ χαλκείων χρυσὸς ἔδυς θαλάμων.

V, 153 :

Πυκνὰ δί ὑψορόφων φαινόμενον θυρίδων.

V, 158 :

Ζωνίον ἐξ ἀνθέων ποικίλον, ὦ Παφίη.

IX, 63 :

Τὸ ξυνὸν Μουσῶν γράμμα καὶ Ἀντιμάχου.

Posidip., V, 211 :

Ἐκ πυρὸς εἰς ἑτέρην Κύπριδος ἀνθρακιήν.

XII, 131 :

Οὐδέποτ' οἰκείων ὦσεν ἀπὸ προθύρων.

Hedyl., VI, 292 :

Νεβρίδα καὶ χρυσέην τὴνδ' ἔθετο προχόην.

VI, 292 :

Πέπλοι καὶ ληρῶν οἱ χρύσεοι κάλαμοι.

Poteram hic plura exempla congerere, sed nunquam Asclepiades Posidippus atque Hedylus Philetae similes apparerent. Est igitur quaedam ars metrica epigrammatum scriptoribus peculiaris, ingeniosa quidem et variis acuminibus distincta, sed non omnibus lenociniis referta quae poetas elegiacos delectant. Ceterum quanquam nostri plerumque consentiunt, non semper eadem via progrediuntur. Asclepiadae varietatem non admodum imitatur Posidippus, sed majore cura praestat. Non frustra illi ante oculos obversata sunt Callimachi et fortasse Lycophronis exempla. Quorum non immemor Hedylus ea tamen aliquoties consulto obliviscitur, metra non respuit frequentibus spondaeis gravata, distinguendi notas post penthemimeren libenter ponit. Durum enim hominem duriuscula poemata decent; nec sine quadam arte artis interdum praecepta negliguntur.

CONCLUSIO

Graecos mores graecasque litteras devictis populis Macedones intulerunt; ita ut unum exstaret ex Illyria usque ad Indos graecum imperium. Id autem quum e tot ac tantis regnis civitatibusque factum fuisset, unam ubicumque speciem nunquam retulit; quare si attente tertii secundive saeculi scriptores et scripta considerabimus, apparebit ea omnino dissimilia fuisse, et pro regionum varietate variata. Athenis docebant philosophi; juxta Aegaeum mare res amatorias versibus expoliebant Philetas, Hermesianax, Phanocles et Theocritus; Alexandriae Callimachus cum discipulis brevissima carmina pangebat, infinito studio de arte poetica disserens. In Syria rhetorum prodigia populi animos alliciebant, rhetorumque vestigia vel ipsi epigrammatum scriptores ingrediebantur.

Omnes illi homines alii aliis sodalitatibus conjuncti erant, et ubique florebant ludi litterarii; neque enim ut prius vigebant pollentes et liberae civitates quibus unusquisque omnes mentis et corporis vires impendebat; quare soli et auxilio destituti sibi videbantur philosophi et poetae, et quum jam cives habere nequirent, socios invenire conabantur. Qui fuerint in Co insula magistri amicive Theocriti nemo ignorat, quam severis autem legibus Callimachus Alexandriae scriptores

adstringeret intelligere possumus ex Apollonio, qui quum haec jura sibi nata fuisse negavisset, gravissime reprehensus usque Rhodum fugere coactus est. Similia et fortasse luculentiora exempla apud epigrammatum scriptores inveniuntur; multi enim sunt in Anthologia qui ex uno homine pendeant: Leonidae Tarentino inserviunt Aristo et Phanias; Anyte socium habet Mnasalcam, quem pone sequitur Damagetes. Plura nomina excitare licebit quando eruditi assidua cura hos poetas considerabunt quos in syllogen recepit Gadarenus Meleager.

Hodie tantum Asclepiadae et discipulis operam navare volui. Hoc illi habent omnino memoria dignum quod, licet arctissima conjunctione consociati, variis in locis vixerint. Scimus enim Samium fuisse Asclepiaden, Alexandriae scripsisse Posidippum, ex Athenis Samum atque inde in Aegyptum venisse Hedylum. Neque his de causis laborem mihi fore inutilem arbitrabar, sed majorem operis spem animo conceperam. Namque ex iis quae communia illi habent videbimus quanta hoc tempore vis fuerit sodalitatibus litterariis. Si contra nonnulla apud nostros dissimilia apparebunt, inde conjicere licebit quid unicuique attulerit regionum gentiumque varietas.

Primo obtutu cernimus maxima cum sedulitate Asclepiadae vestigia pressisse Posidippum atque Hedylum. Tres enim scriptores eamdem materiem tractant, easdem personas inducunt, pariter argumentum exornant, atque nonnunquam ita rem gerunt ut inter magistri discipulorumque carmina curiosa quaedam intercedat vocabulorum sententiarumque responsio. Omnes praeterea similiter dialecti copiis utuntur, doricumque et ionicum sermonem non inscite commiscent, vitatis

omnibus verbis quae nimis insuetum sonent, neglectisque multis quae postea Syri poetae passi sunt. Omnes denique vel in prosodiae atque rei metricae nugis congruunt, non temere ponunt in thesi breves duobus consonantibus productas, penthemimeri multo magis quam Callimachus delectantur, hexametros respuunt tertio spondaeo deformatos.

Eo arctior inter eos fuit sermonis cognatio quod apud Graecos summa cum cura varia poeseos genera circumscribebantur. Vidimus non licuisse epigrammatum scriptoribus grandiora proferre, namque dialectus apud nostros plane ab ea differt quae Theocrito et Callimacho placebat, et quanquam Asclepiades et socii nonnunquam sibi multum in rebus grammaticis indulgent, legesque prosae orationis consulto obliviscuntur, usque projiciunt epici poematis ampullas, nec unquam ea audent quae temere fudit Apollonius in Argonauticis.

Summa fuit igitur magistri et discipulorum similitudo, attamen nonnulla habent e quibus appareat hic Sami, hi vero in Aegypto maximam vitae partem egisse.

Asclepiades, ut Philetas Cous et Colophonius Hermesianax ante omnia in deliciis habet res amatorias. Posidippus autem qui Athenis Zenonem Cleanthemque audivit, nonnunquam philosophiae praecepta in memoriam revocat, sed multo saepius, quum Alexandriae sit incola et Ptolemaei assentator, versibus exornat splendida regum monumenta, vel regibus ipsis blanditur, neque indignus est Callimacho qui totum de coma Berenices carmen composuit. Sed quum in magna urbe summa colligatur turba hominum, plebisque faex impurissima, aliquoties poeta noster in satiram delabitur. Cui totum se dedit Hedylus perpetuoque Aegypti scorta et helluones insectatus est.

